
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך
הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

DE VETERIS TESTAMENTI

VERSIONE SYRIACA

QUAM PESCHITTHO VOCANT

QUAESTIONES CRITICAE.

PARS I.

SCRIPSIT

I. PRAGER,

DR. PHIL.

GOTTINGAE,

IN LIBRARIA DIETERICHIANA.

1875.

Göttingen,
Druck der Dieterichschen Universitäts-Buchdruckerei.
W. Fr. Kaestner.

Perdiligens Veteris Testamenti versionum vetustissimarum studium a Ric. Simonio usque ad nostram aetatem mira cum industria cultum, illis non adeo nos adiuvari in textu sacro emendando vel stabiliendo, nec multum eas praebere auxilii ad locos difficiliores explicandos, satis superque demonstravit. Attamen inest in versionibus nostris maxima vis et auctoritas, quoniam solae fere testes remotissimorum temporum memoriae produnt, quae tum Scripturae Sacrae condicio fuerit, variasque variarum aetatum de Bibliis retegunt opiniones. Minime igitur credendum esse puto, a versionibus typum *Bibliorum* diligenter atque accurate reddi, immo *aetatis suae* exhibent expressam imaginem. Ad haec studia Hody, Luzzatto, Rapoport, Frankel, Geiger alii multum contulerunt; sed plerique viri docti in LXX interpp. versione, et Targumis pertractandis consumpserunt operam. Versio autem, quae illis non inferior mihi videtur dignitate et aetate — Peschittho (ܦܫܝܛܬܐ) i. e. „Simplicem“ 1) dico—immerito adhuc est neglecta: Dathe quidem,

---

1) De nomine »Peschittho« multum est disceptatum. Alii ducunt »ܦܫܝܛܬܐ« a »ܦܫܝܛ« vocabulo, voluntque esse »vulgatam, vulgo acceptam, canonicam«; alii statuunt Pesch. significare »Simplicem« i. e quae ad verbum exemplo adstipulatur, vocemque opponunt »versionibus paraphrasticis«, (ut apud Judaeos על דרך הפשט opponitur הדרוש). Hanc vero sententiam refutare studuit Geiger (Verhandlungen der ersten Versammlung deutscher und ausländischer Orientalisten p. 9) qui, ratus, פשט vocabulum proprie respondere verbo »explicandi,« »*Pesch.*« esse »explicatam« »conversam« (sc. S. S.) voluit. At virum doctissimum fugit, Peschittho nomen ad versionem nostram significandum demum posterioribus aetatibus (primum apud Bar-Hebraeum) deprehendi, quibus ܦܫܝܛܬܐ nihil aliud significat nisi »Simplicem«, qua re

Credner, Hirzel singulos Simplicis libros attigerunt passimque varias lectiones a textu discrepantes attulerunt; Wiseman vero de V. T. Peschittho multas novasque res protulit copiose, nec eas ipse satis est persecutus. Wichelhaus quidem in libro, qui inscribitur: „De Novi Testamenti versione Syriaca“ occasione data etiam de V. T. fecit verba. Rapoport demum, post eumque Perles in „Meletematis Peschitthonianis“ in Simplicem accurate inquisiverunt eiusque rationem explanaverunt. Quid Halacha et Hagada quum tota versione tum in Pentateucho valeret, demonstravit haud ambigue Perles, et Simplicem Nostram a Iudaeis compositam voluit. *Illam* quidem sententiam viri docti plerumque laudaverunt; cui vero religioni Pesch. auctor fuerit addictus, magna inter viros doctos versatur dissensio. Praecipue Noeldeke multa, quae scriptorem Christianum probent, protulit. Praeterea quum multae supersint difficultates etiam de Simplicis *aetate*, fusius uberiusque hac de quaestione ita disserere in animum induximus, ut *tempora* et *rationem* qua Pesch. processerit — quod momentum adhuc plane est neglectum — illustremus easque res potissimum respiciamus.

Quia autem Psalmi in versione nostra vulgo testes originis Christianae proferuntur et a Perlesio omnino sunt praetermissi, singularis de Psalmis argumentatio generalem de Peschittho disputationem excipiet.

---

obiicitur Targumis paraphrasticis; huius opinionis argumenta e disputatione ipsa suppeditabunt (Cf. explicationem nominis ܦܫܝܛܬܐ sive ܕܦܫܝܛܐ apud Abul-Pharagium infra pag. 9).

I.

Primum quidem, — ut iam ad rem ipsam accedamus, — maximi ponderis exsistit quaestio, quanam potissimum aetate Peschittho Nostra, quam aiunt, nata sit. Illa quidem vetus opinio, VI vel VII saeculo post Ch. n. aut paulo post Ephraemi Syri mortem († 378) confectum esse hoc opus, iam a Wisemano[1]) merito est explosa; nec levissimis argumentis Dathe[2]) sententiam Semleri[3]), qui Simplicem ex Origenis Hexaplis fluxisse statuebat, profligavit. Nec deerant, qui memoriam Syriacam secuti, si non Salomonis tamen Asae sacerdotis aetati versionem Nostram attribuerent[4]). Quoniam hac in disputatione fontes perpauci nobis suppeditant, eos summa diligentia examinemus est necesse. Atque quia Ephraemus Syrus Versionem Nostram quasi fundamentum commentariorum esse voluit — ipse enim Simplicis auctor nullo modo haberi potest[5] — Pesch. haud ambigue ante initium saec. IV est absoluta. Quod autem ille semel Peschittho „Versionem Nostram“ (ܡܦܩܬܢ) appellavit, plerique recentioris aetatis viri docti, hunc librum Ephraemi tempore a Syris vulgo receptum, in usu quoque canonico floruisse, contenderunt. Deinde hanc opinionem adiuvare videntur ea Ephraemi verba,

1) Horae Syriacae 107—118.

2) Psalterium Syriacum, praef. X—XVIII.

3) Vorbereitung zur theologischen Hermeneutik I. 382—394.

4) Eichhorn, Allgemeine Einleitung etc. I, 476 seqq; Haevernik Einl. ed. Keil 403 seqq.

5) Primo quasi aspectu Pesch. ab exemplo Hebraico manasse intellexeris, cuius linguae Ephraemum ignarum fuisse luculenter demonstravit Credner (De Prophetarum minorum versionis Syriacae indole 15—47).

quae nomen Peschittho circumscribant, velut „Scriptura“ (ܟܬܒܐ [1]), „Interpres“ (ܡܦܫܩܢܐ [2]), „Ii qui transtulerunt in sermonem Syriacum“ (ܗܢܘܢ ܕܦܫܩܘ ܠܣܘܪܝܝܐ [3]) „Dicit“ (ܐܡܪ [4]). Eas appellationes adhibere Ephraemus nequisset, illi concludunt, nisi Simplex late fuisset divulgata. Quod autem non verisimile habebant, versionem recentem tam brevi intervallo ad auctoritatem pervenisse, Pesch. multos annos ante Ephraemum conscriptam esse censuerunt.[5]) Mea quidem sententia hac in argumentatione parum inest probabilitatis; immo si recte videmus, alium atque illi fecerunt eliciemus sensum; verba quidem, de quibus agitur, haec sunt. ܟܠܐ ܕܝܢ ܐܡܪ [6]) ܥܒܪܝܐ ܕܢܟܣܐ ܠܪ̈ܓܠܘܗܝ ܗܘ ܕܡܦܩܢܘܬܢ ܐܡܪܐ ܘܕܡܟ ܬܡܢ „Hebraeus: ut tegeret pedes suos, nostra autem versio habet: et dormivit ibidem“. ܡܦܩܢܘܬܢ igitur opponitur voci ܥܒܪܝܐ, idcirco intellegendum est: versio quam nos, i. e. scriptor, pro fundamento iecimus, quam nos sequimur. Nec pluris sunt facienda vocabula ܟܬܒܐ, ܡܦܫܩܢܐ etc. quum Ephraemi interpretandi rationem respexeris; primum enim versum contextus interpretationi suae praepositum ille explicat, atque quum ad textum ipsum debet recurrere, verbis supra laudatis utitur,

---

1) ܢܦܩܐ ܕܗܘܢܐ ܐܡܪ ܟܬܒܐ ܡܦܩܐ ܗܘ ܕܡܢ ܥܒܪܝܐ ܢܦܩܗ (Comment. opp. I, 528 ad II Regg 3, 4.)

2) ܒܪܘܬܐ ܕܝܢ ܥܒܪܝܬܐ ܗܘ ܕܢܩܐ ܐܡܪ ܡܦܫܩܢܐ ܐܦ ܡܟܪܙܐ ܗܘ ܟܢܝܢܗ (ibid I, 498 ad I Regg 18, 44).

3) ܟܕ ܠܐ ܡܝܕܥ ܗܘܘ ܗܢܘܢ ܕܦܫܩܘ ܠܣܘܪܝܝܐ ܡܠܬܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܒܪܘܬܐ ܥܒܪܝܬܐ ܒܝܬܘܗ ܫܡܗ (ibid I, 305 ad Josua 15, 28).

4) ܐܝܟܐ ܕܝܢ ܕܐܡܪ ܕܠܟܠܢܫ ܕܢܫܠ ܒܠܝܢ ܒܥܒܪܝܐ (ibid opp. I, 273 ad Deut. 9, 25).

5) Bertholdus inde nomen »ܦܫܝܛܬܐ« = »κοινήν«, »vulgatam« studet probare, immerito tamen ille ita fecit; nam ܦܫܝܛܬܐ nomen Ephraemi aetate nondum viguisse, supra iam illustravimus.

6) Ephr. opp I, 380, ad I Sam. 24, 4.

quae nihil mirandi habent[1]). Ceterum res est audaciae plena, argumentis gravissimis non allatis, Versionem Nostram iam ante Ephraemum in summa dignitate omniumque usu fuisse colligere, praesertim quum multa expresse dicta contra pugnare infra ostendamus.

Huc accedit quod Ephraemus permulta verba, quae in Pesch. Veteris Testamenti inveniuntur, aut penitus ignoravit aut suis incognita est arbitratus.[2]) In his vero illustrandis saepe peccavit vehementissime. Quoniam linguas Orientales, quae nominantur, sensim ac pedetentim esse mutatas constat, iusto meritoque concludimus, Simplicem multo ante Ephraemum factam, qua aetate sermo Syriacus, Chaldaismis mixtus, cum Targumis quandam habebat similitudinem.[3]) Quae res non

---

1) Exempla, quae attulimus, conferas iisque confirmatam invenies opinionem nostram.

2) Grandem eiusmodi numerum congessit Wisemann l. l. 122—138; cf. Perles, pag. 53, annot. III; — כְּזֶרַע גַּד (Num. 11, 7) Pesch. reddit ܐܝܟ ܙܪܥܐ ܗܘܐ ܕܟܘܣܒܪܬܐ quam vocem Ephraemus interpretatur hisce verbis: ܡܢܢܐ ܕܐܡܪ ܠܟܠܗܘܢ ܕܐܝܟ ܙܪܥܐ ܗܘ ܕܟܘܣܒܪܬܐ ܕܢܘܢܐ ܕܒܟܠܡܕܡ ܡܛܥܡܐ ܗܘܐ ܐܦ ܒܛܥܡܬܐ ܐܦ ܒܪܘܚܢܘܬܐ ܘܐܦ ܒܚܠܝܘܬܐ ܡܛܥܡܢ ܗܘܐ (opp I, 256). Wiseman quidem, ut hanc Ephraemi interpretationem illustraret, »Videtur (Ephraem.) enim«, inquit, »istam vocem ܟܘܣܒܪܬܐ tenuisse pro voce composita ex »ܟܠ« (omnis) et »ܣܝܒܪܬܐ« (cibus) cett.«; quam sententiam nequaquam laudaverim; nam Ephraemum non ipsum ܟܘܣܒܪܬܐ cognitum habuisse, sed ab homine Judaeo de hac voce doctum esse existimaverim. In Talmude (Joma 75a) legitur: טעם כל המינים טעמו במן »In Manna omnium ciborum gustum deprehenderunt.

3) Wichelhaus (de Novi Testamenti versione Syriaca antiqua, pag 91 seq.) num inde coniecturam faceret de Pesch. aetate et patria nescius, ut rem expediret, nomina, quae Ephraemus interpretatur, spectare ad res raras remotasque a communi vitae usu statuit; at virum doctissimum fugit res maximi momenti; nam quamvis verba plebs nesciret, tamen novisse debebat Ephraemus

levem scrupulum animo iniicit, num versio Syriaca tum tanta auctoritate usuque ecclesiastico, quantum illi volunt, floruerit; nam impetrare a me non possum, ut concedam, Ephraemum fugisse multitudinem verborum in translatione longe lateque per Syriam divulgata in consuetudinemque recepta canonicam.

Atque quum ad litteras monumentaque, quae apud Syros exstant, convertimus oculos, vestigia cuncta pervetustam Pesch. aetatem prae se ferunt; quia vero saepius hanc ad rem est recurrendum, liceat verba contextus afferre.

1) Primus quidem Jacobus Edessenus apud Bar-Hebraeum ad Psalm. X mentionem fecit Versionis Nostrae hanc: ܝܥܩܘܒ ܕܐܘܪܗܝ ܐܡܪ ܡܦܫܩܢܐ ܗܢܘܢ ܕܐܫܬܕܪܘ ܡܢ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ ܘܐܒܓܪ ܡܠܟܐ ܕܐܘܪܗܝ. ܠܦܠܣܛܝܢܝ ܘܐܦܫܩܘ ܟܬܒܐ ܡܢ ܥܒܪ ܦܠܓܘܬܐ ܗܘ ܕܢܕܥܘܢ ܥܡܡܐ ܕܒܢܝ ܐܢܫܐ ܗܢܘܢ ܕܡܫܬܠܡܐ ܐܫܟܚܘ ܬܫܡܫܬܐ ܕܙܡܪܐ ܫܒܩܘ ܕܐܬܠܝܗ ܗܘ ܕܪܒܥܐ ܘܫܒܩܘܗ ܡܢ ܚܘܫܒܐ ܒܥܒܪܝܐ ܣܠܐ، ܕܡܫܬܠܡܐ ܒܟܠܗ ܐܡܬ ܢܦܫܩ[1] Jacobus Edessenus dicit, interpretes illos qui missi sunt ab Adaeo Apostolo et Abgaro rege Edesseno in Palaestinam, quique verterunt Libros Sacros, quum post versum „ut sciant populi, se esse homines" (Psalm. 9, 21) invenirent „$\delta\iota\acute{\alpha}\psi\alpha\lambda\mu\alpha$", putasse Psalmi decimi hic esse locum; at in omnibus exemplaribus Hebraicis pro „$\delta\iota\acute{\alpha}\psi\alpha\lambda\mu\alpha$" omni tempore"[2]) exprimitur.

2) Deinde Jesudad, episcopus Hadathanus, cuius verba in Assem. bibl. orient III, 1, 211 seq. ita leguntur: ܠܣܘܪܝܝܐ ܕܝܢ ܐܬܦܫܩܘ ܟܬܒܐ ܡܢ ܐܢܫܐ ܗܠܝܢ ܐܘܪܚܝܬܐ ܠܚܘܕ ܘܫܡܥܘܢ ܒܙܒܢܐ ܘܦܫܝܛܬܐ ܘܪܒܘܬܐ ܘܡܫܠܡܢܐ ܘܕܘܡܝܐ ܘܡܠܐܟܐ ܘܩܘܠܘܣ ܘܡܐܬܐ ܘܡܠܬܐ ܘܐܘܪܚܝ ܒܪܒܢܘܬܗ ܕܡܠܟܘܬܗ ܒܡܫܚܐ ܕܡܫܝܚܐ ܢܦܫܗ ܡܠܟܐ ܕܙܘܪ ܘܟܠܬܐ ܕܝܢ ܕܡܪܟܐ ܕܟܠܝܬܐ ܐܚܪܝ ܘܕܪܫܬܐ ܒܪܒܢܘܗ ܕܐܒܓܪ ܡܠܟܐ ܘܐܘܪܗܝ ܒܦܪܘܣܘܦܘܬܐ ܕܐܕܝ ܘܕܝܫܪܐ ܕܡܫܝܚܐ „Libri Sacri in Syriacum

---

vir sermonis Syriaci peritissimus. Ex exemplis a Wisemano allatis verba illa eum ipsum falso interpretatum esse perspicuum est.

1) Apud Wisem. 103.

2) Waltonus (proleg. pag 91) verba: ܒܟܠܗ ܐܡܬ ܢܦܫܩ reddidit:

sermonem translati sunt hoc ordine: Pentateuchus, Josua, Judices, Ruth, Samuel, Davidis (Psalmi), Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Job, tempore Salomonis rogatu Hirami, regis Edesseni, eius amici; reliqui vero libri Veteris pariter ac Novi Testamenti tempore Abgari regis Edesseni cura Thadaei aliorumque Apostolorum.

3) Tum Bar-Hebraeus in praefatione ad librum ܐܘܨܪ ܐܪ̈ܙܐ (horreum mysteriorum): ܕܥܠܝܗ ܕܝܢ ܕܗܕܐ ܦܫܝܩܬܐ (ܡܦܩܬܐ ܦܫܝܛܬܐ) ܠܬܠܬ ܡܣܒܪ̈ܢܘܬܐ ܗܘܝ. ܚܕܐ ܡܢ ܕܒܝܘܡܘܗܝ ܕܫܠܝܡܘܢ ܘܕܚܝܪܡ ܡܠܟܐ ܐܬܦܫܩܬ ܕܬܪܬܝܢ ܕܐܣܐ ܟܗܢܐ ܟܕ ܫܕܪܗ ܐܬܘܪܝܐ ܠܫܡܪܝܢ ܐܦܩܗ̇ ܕܬܠܬ ܕܒܝܘܡܝ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ ܘܐܒܓܪ ܡܠܟܐ ܕܐܘܪܗܝ ܐܬܦܫܩܬ. ܐܡܬܝ ܕܐܦ ܕܝܬܝܩܐ ܚܕܬܐ ܒܗ̇ ܒܦܫܝܛܘܬܐ ܦܫܝܛܬܐ ܐܬܦܫܩܬ [1] „Quod vero spectat ad hanc Syriacam (Versionem Simplicem) tres fuerunt sententiae, prima, quod tempore Salomonis et Hirami regum conversa fuerit, secuda quod Asa sacerdos, quum ab Assyrio missus fuit Samariam, eam transtulerit, tertia tandem quod diebus Adaei Apostoli et Abgari regis Edesseni versa fuerit, quando etiam Novum Testamentum eadem simplici forma translatum est".

4) Denique idem in libro „historia Dynastiarum" [2]) de Versione Nostra verba facit haec: وهذا النقل السبعيني هو المعتبر عند علمائنا وهو الذى بايدى الروم وباقى فرق النصارى خلا السريان وخصوصا المشارقة فان نسختهم المسماة بسيطة (الترك البلاغة فى نقلها) تطابق نسخة اليهود واما المغاربة فلهم النقلان البسيط المنقول من العبرانى الى السريانى بعد مجى السيد المسيح فى زمان ادى السليح وقيل قبله فى زمان سليمان بن داو(د) وحيرم „Atque ea est versio LXX quam amplectebantur viri docti nostri, estque eadem, quae in manibus Romanorum est cete-

---

»semper lienamentum«, quod ineptissimum est. Cf. infra.

1) Assem. bibl. orient II pp. 24, 279; Wisemann l. l. 87. Kirsch, Chrest. Syr. 145.

2) Ed. Pocockius, pag. 100.

rarumque Christianarum sectarum, exceptis Syris ac praesertim Orientalibus, siquidem eorum exemplar, quod simplex vocant, quia in eius versione elegantiarum ratio habita non sit, consentit cum exemplari Judaeorum. Occidentales autem duas habent versiones, Simplicem, quae ex Hebraico in Syriacum translata est post adventum Domini Christi tempore Adaei Apostoli, vel, ut alii dicunt, tempore Salomonis, filii Davidis, et Hirami".

Quae narrationes a viris doctis superiorum aetatum ultro receptae, a recentioribus tamquam fictae et fabulosae sunt abiectae[1]). Wichelhaus[2]) vero primus accuratius inquisivit utrum — qua in re omnes illi scriptores consentiunt — Abgaro rege Scriptura Sacra, saltem aliqua ex parte, in sermonem Syriacum conversa esset magnaque cum doctrina Abgarum in fabulis Christianis eundem esse atque Izatem Adiabenensem, de quo Josephus multa memoriae prodit, demonstrare studuit[3]). Argumentatio vero Wichelhausii, quod tam blanda est ac nova, ut facile cum Perlesio eam amplectaris, operae pretium visum est sine ira et studio rem examinare. Abgari quidem cognomen apud reges Edessenos tritissimum, semel in principe Adiabenensi deprehendimus[4]). Atque Moses Chorenensis (rerum Armeniarum scriptor V saec.) multa de fabularum Christianarum Abgaro retulit, quae mire cum Josepho de Izate verba faciente concinunt. Mose autem auctore, Abgari patri nomen erat Ardsamus sive Arsamus, qui idem Monobazus appellabatur, *uxori* (?) eius Helena, cuius sepulcrum Hierosolymis erat magnificentissimum; in aula vero regia permulti versabantur homines Judaei, inter quos maxime excellebat Enanus. Josephus rursus narrat, Izatem parentibus esse usum Monobazo et Helena, quae Hierosolymis sepulcrum suum exstruendum curaverit[5]); regem ipsum Ana-

1) Cf. Berthold, Einleitung etc. 594, Eichhorn 476 seq.

2) l. l. 97—113.

3) Idem iam Whistonii fratres, editores Mosis Chorenensis coniectaverunt.

4) Dio Cass. I, 74.

5) Jos. antiqq. XX, 4, 3.

nia agente ad Judaeorum religionem conversum[1]) misisse „πέντε μὲν τὸν ἀριθμὸν υἱοὺς, τὴν δὲ ἡλικίαν νέους, γλῶτταν τὴν παρ' ἡμῖν πάτριον καὶ παιδείαν ἀκριβῶς μαθησυμένους[2]). His cum verbis Wichelhaus coniungit, quod Abgarus in Palaestinam misit, qui Scripturam Sacram Syriace verterent; inde vir doctissimus a legatis domum reversis (I saec. post Ch. n.) primum V. T. nec multo post Novi versionem confectam esse coniectavit. Quoniam consensus narrationum variarum speciem quandam veri prae se fert, non potest esse mirum, quod Wichelh. quem secutus est Perles[3]), hanc opinionem laudavit; at quum rem accurate tractamus, probabilitas magis magisque ad nihilum recidit, quum difficultates inde ortas in animum induxeris; nam Mosi Chorenensi fides prope nulla est tribuenda, qui fabulas undique petitas coacervat, — vel commercium epistolarum inter Abgarum et Christum commemorat idque quovis modo exornat —; multaque ab eo imprimis in Abgaro commisceri ipse Wichelh. fatetur[4]), quae aliis principibus attribuamus necesse est. Moses quidem Chorenensis narrationem de Helenae sepulcro ex Josepho se sumpsisse ipse fatetur[5]), consensum igitur rerum hic parvi

---

1) ibid. 2, 4.

2) ibid. 3, 3.

3) pag 6 seqq. Ita quidem Perles a Wichelhausio discrepat, ut a legatis in Palaestina ipsa S. S. Syriace velit translatam. Josephus quidem et Genes. Rabb. (c. 46. cf. infra p. 54[1]) referunt ab Eleasaro Izatem et Monobazum fratres deprehensos esse Pentateuchum legentes. Wichelh. de versione Graeca cogitat, Perles de Syriaca modo absoluta; haec quidem sententia nulla modo stare potest. Nam Josepho et Genes. Rabb. auctoribus, quum Pentateuchum legisset, Izatae facta est circumcisio, et multo post ille quinque filios Hierosolyma delegavit. Atque cum hac re si coniungis Simplicis versionem absolutam, Izates non antea hunc librum legisse est putandus.

4) l. l. pag. 101.

5) Moise de Khorène, auteur du V siècle, histoire d'Arménie cett. par P. E. Le Vaillant de Florival, Paris, I, 235.

ducendum esse, luce est clarius, imprimis quum — ut supra diximus — Moses multa assignet Abgaro, quae ad alios reges haud dubie sunt referenda. Sed etiamsi Abgarus fabularum Christianarum idem esset atque Izates Josephi, tamen non magnum inde faceremus lucrum. Moses enim, qui Abgarum quolibet modo solet celebrare, nusquam accepit, Bibliorum translationem eius iussu factam; nec Josephus Izatis aequalis, praetermisisset occasionem narratiunculae afferendae, cui mira cum insigni Graecae versionis (LXX) origine intercedat similitudo. Adiice quod Syri uno ore Abgarum cum Adaeo sive Thadaeo Apostolo coniungunt, quae res de Izate omni caret sensu.

Atque fabulas ipsas perlustrantibus nobis, permirum videtur esse, quod nemo ante Jacobum Edessenum eas attigit. Nam Ephraemus hac de re nihil habet compertum, quam alioquin non omisisset referre, nec aliter Moses Choren. qui, si fabulae eius aetate iam floruissent, per Syriam iter faciens[1]) de iis aliquid cognovisse debebat. Omnem vero dubitationem demit Theodorus Mopsvestensis († 429) qui de Veteris Testamenti versione Syriaca verba facit haec: *ἑρμηνεύεται δὲ ταῦτα (τὰ βιβλία) εἰς μὲν τὴν Σύρων παρ' ὅτου δέ ποτε οὐδὲ γὰρ ἔγνωσται μέχρι τῆς σήμερον ὅστις ποτὲ αὐτός ἐστιν.*[2]). Tum quidem nihil iam noverunt homines de Pesch. aetate nec de fabulis, quae VIII. demum saec. p. Ch. n. ferebantur et insequenti aliter perhibebantur. Quum enim Jacob. Edess. (VIII. saec.) velit versionem confectam per Abgari legatos in Palaestinam missos, Jesudad maiorem eius partem Salomone regnante absolutam scribit, sub Abgaro minorem; Bar-Hebraeus vero exhibet etiam, sub Asa pontifice partem Simplicis esse conscriptam. Itaque nostro jure fabulis fidem abrogamus omnem, quarum de origine infra disputatio erit instituenda. —

Inter patres vero ecclesiasticos antiquissimus, qui versio-

---

1) Cf. ibidem: notice biographique sur Moise de Khorène pag XV.

2) Scriptorum nova collectio e Vatic. codd. edita ab Aug. Maio. Romae 1832, Theod. Mopsv. in Sophoniam C. I, 6.

nem quandam Syriacam novit, de quo hactenus compertum habemus, est Melito Sardensis (saec. II Christ.) qui in scholio ad Genes. 22, 13 (נאחז בסבך בקרניו) commemorat: *κατεχόμενος τῶν κεράτων. ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος κρεμάμενός φησιν, ὡς σαφέστερον τυποῦν τὸν σταῦρον*[1]). Commemoratur „ὁ Σύρος" etiam a Basilio M. (Hom. 2 in Hexaëm.), ab Eusebio Caesareensi, Diodoro Tarsensi, Eusebio Emes., Hieronymo[2]), Theodoreto[3]). — Ambrosius haec (l. I. c. 8.): „Denique Syrus, qui Hebraeo vicinus est et in sermone consonat et in plerisque congruit sic habet: et spiritus Dei fovebat aquas" (Genes. 1, 2); Hieronymus in Epitaphio Paulae ad Eustochium[4]) scribit: „Hebraico, Graeco, Latino *Syroque* sermone Psalmi in ordine personabant". „Genesin in idioma Syriacum translatam fuisse, Augustini quoque aures attigit" (de civ. D. 15, 13)[5]) Quae testimonia quum vestigia ponant in saec. II Ch. ipso, non a vero existimamus aberrare si etiam maiorem tribuimus Simplici aetatem[6]).

Postremo res a nemine adhuc, quantum sciam, animadversa maiorem Versionis Nostrae aetatem probat; nam Novum Testamentum Syriacum, quod plerumque serviliter textum Graecum sequitur, interdum locos V. T. in Novum receptos affert secundum Simplicem Nostram. Atque si N. T. versio Syriaca

---

1) Legitur Melitonis fragmentum in scholiis editioni Romanae LXX interpp. versionis annexis. Nec Simplex Nostra nec exemplum Hebr. *τῷ κρεμαμένῳ* respondent. Vid. qua ratione Wichelh. rem studeat expedire (pag 66). Quod vero Doederlein dicit, *τὸν Σύρον* nihil aliud esse nisi interpretationem Graecam ex Hieronymi versione Latina factam, parum argumentis confirmavit.

2) Cf. Montefalcon. in Hexapl. Orig. diss. praelim. c. I § 8.

3) Cap. 3 Jonae.

4) Ep. 27.

5) Cf. Wichelhaus. pag 64—68.

6) Patres quidem ecclesiastici raro adhibent *τόν Σύρον* eumque interdum non accurate laudant, quae res optime docet, Pesch. saeculo III et IV non ita longe esse pervulgatam.

saec. I exeunte[1]) aut II ineunte[2]) est confecta, Versio Nostra iam antea aut circa hoc tempus exstitit[3]).

In eo autem statu res versatur ut ex iis, quae supra diximus, haecce concludamus:

I. Quod multas voces Peschitthonianas Ephraemus non intellegit, multum distat ab illo tempore, quo Simplex° est nata.

II. Ephraemi et Theodori Mopsv. aetate nihil certi fuit notum de Pesch. origine, quae causa non leviter quod modo collegimus adiuvat.

III. Patres quidem ecclesiastici, qui inde a saec. II florebant versionem Syriacam passim nominant, nec saepe ea utuntur.

IV. Quod Novum T. e Simplice interdum laudat Vetus, Versio Nostra saec. I exeunte sive II ineunte exstabat.

Ut vero hac in quaestione ad certam quandam perducamur sententiam, indoles naturaque Versionis Nostrae temporaque, ubi nata est, diligenter sunt respicienda. Atque etiamsi ea, quae Syri de Pesch. tradunt, non multi sunt facienda, tamen id valet, quod omnia consentiunt, opus esse a compluribus auctoribus absolutum. Quum vero V. T. Pesch. perscrutamur, varios libros varios habere interpretes facile perspicitur.

Nam quamvis Pentateuchi versio auxie et serviliter vestigiis exempli insistat, Psalmi liberiore tenore utuntur; nec minus discrepant inter se Paralipomena, quorum interpretatio quasi paraphrastica hagadicaque est, et Proverbia, quorum sermo quandam cum Targumo Chaldaeo exhibet similitudinem. Porro unius eiusdemque libri, velut Pentateuchi, complures interpretes nobis sunt statuendi; quum Genesis necessitudinem quandam cum versione LXX interpp. prae se ferat, in ceteris Pentateuchi libris eam non reperimus; nec minus in Psalmis variae interpretum rationes offendunt animum, qua in causa

1) Cf. Wichelhaus, pag 120.

2) Hug: Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments. p. 315 seqq.

3) Locos e Peschittho Veteris Testamenti in Novum receptos collegi in appendice I. Cf. de hac re infra pag. 31 annot.[4]).

viri non mediocriter hac in provincia versati, omnes ad unum conspiraverunt. Nec aliter sensit Ephraemus, qui de compluribus translatoribus prodidit memoriae. (ܗܢܘܢ ܕܦܫܩܘ ܠܣܘܪܝܝܐ). Jam inde est perspicuum, V. T. versionem nihil facere cum N. T. quam rem et fabulae Syriacae confirmare videntur. [1]). Summa vero cautione opus est in quaestione de auctoribus variis absolvenda; nam etiamsi vox una eademque varie est conversa, idcirco complures scriptores probare nequimus. Nam ut contextus LXX interpp. sensim est mutatus et corruptus, ita res etiam multo magis in Simplice usu venit; velut contextus Pesch. qualis Ephraemo suppeditavit, multum distat ab eo, qui est in editionibus nostris, neque vero exiguum cum LXX interpp. exhibet consensum. Nec latet circa Ephraemi aetatem Simplicem et LXX interpp. versionem inter se esse collatas [2]). Rursus ille multifariam antiquae et genuinae versionis vestigia retinuit, quae in editionibus vulgaribus corruptelis magnopere sunt oblitterata. Pesch. vero Nostra continet multas glossas et additamenta de N. T. aut aliunde derivata [3]). Quodsi Jacobus Edessenus IX annos operam navasse Pesch. emendandae Bar-Hebraeus expresse narrat [4]), quanti contextus Simplicis ad nostram memoriam deductus sit faciendus, quantaque hic diligentia sit adhibenda, luce est clarius. — Nos quidem antequam aggrediamur de proprietatibus quibusdam rebusque singularibus Versionis Nostrae disserere, ex iisque facere coniecturas, indolem naturamque eius cognoscamus et in medium proferamus necesse est.

---

1) Cf. Bar-Hebraei verba supra laudata. N. T. Syriace translatum unius hominis esse Hug (l. l. pag. 310 seq.) praeclare demonstravit, idem vir epistolam ad Hebraeos datam ab alio auctore postea confectam refutavit igeniose.

2) Rem docent loci Ephraemi ex LXX interpp. versione citati (ܝܘܢܝܐ), quamquam ille sermonis Graeci rudis fuit (Cf. Hug l. l. 307).

3) Cf. Perles. pag. 9—12.

4) Assemani B. O. III, 336.

Atque primum quaestio est absolvenda, cuinam addicti fuerint religioni Simplicis auctores, qua in re mire inter se viri docti dissentiunt. Nam Ricardus Simon interpretes natione Judaeos fuisse voluit[1]). Hirzel[2]), Kirsch[3]) Gesenius[4]) alii pro homine Christiano pugnaverunt; Dathe[5]) vero duabus sententiis conciliatis, Judaeo-Christianum statuit, eiusque opinionem Noeldeke[6]) et plurimi ex Isagogistis, qui nominantur, laudaverunt. Wichelhaus quidem secum ipse pugnat, quum hic[7]) originem Christianam studeat probare, illic[8]) Simplicem Izate Judaeo agente in Palaestina factam esse censeat.

Nostra demum aetate Perles ex interna Simplicis natura auctorem Iudaicum demonstravit et originem mere Christianam penitus sepelivit. Ac quamvis dissertatio Perlesii summas consequeretur laudes, tamen pauci summam argumentationis sunt amplexi. — Sumunt vero, in Versione Nostra multum valere auctoritatem Judaicam, nihilo autem secius, ut quasdam difficultates, quae relinquuntur, superent, ad scriptorem Judaeo-Christianum confugiunt; nam Perles scrupulos aliquot (velut locos ad Christum pertinentes, quos illi nolebant spurios, causis gravissimis non allatis) — nusquam verbo attigit. Rebus ita compositis in utramque partem de hac quaestione volumus disputare.

Atque ut Christianam efficiant originem afferunt haec.

1) Versio quidem Nostra, non multo postquam religio Christiana a Syris est recepta, in usum omnium abiit summaque dignitate fuit ecclesiastica; ad hanc sententiam probandam monent, Pesch. ab Ephraemo semel „nostram versionem“

---

1) Histoire crit. du Vieux Test. (1680) pag. 305.

2) De Pentateuchi versione Syriaca pag. 128.

3) Pentateuchus Syriace pag. XIV.

4) Commentar über den Jesaja 85 seqq.

5) l. l. praef. XXV seqq.

6) Die Alttestamentliche Litteratur 263.

7) l. l. 73.

8) ibid 48.

(ܡܦܩܬܐ) appellari[1]). Jam supra errorem, in quem isti incurrerunt, illustrasse nobis videmur. Sed quum Ephraemus nec sermonis Hebraici nec Graeci esset peritus, nec alioquin exstarent versiones Syriacae, debebat solummodo sequi Simplicem, nec inde potest colligi, Pesch. tum auctoritate fuisse canonica. Ceterum quominus Simplicem longe ante Ephraemum esse pervulgatam concedamus, impedit, quod multorum verborum vis eum fugit; quod qui fieri potuit, siquidem versio a Christianis facta vulgoque recepta usque ad Ephraemi aetatem in ecclesia floruit? Unde vero est expediendum, quod patres ecclesiastici, qui eam debebant novisse, si in Syria longe lateque diffusa fuit, raro Versionem Nostram laudant, quod neque Origenes neque Hieronymus, qui singulari cum industria versiones illa aetate notas colligebant, Simplicem apud Syros tritissimam paene silentio praetereunt? Atque quum res mihi videatur minime stare, contrariam laudaverim sententiam, testimonio Al- Takrîtîi[2]) insistens cuius verba ita leguntur: كان في القديم تقرا الكتب العتيقة بالعبرية ومنع عن ذلك مار افريم[3]) „Antea V. T. libri Hebraice legebantur, quam rem Mar Ephraemus prohibuit“. Noster quidem locus distincte significat, Simplicem usque ad Ephraemi aetatem in ecclesiae Syriacae usu non fuisse[4]). Sed ut hanc quaestionem

---

1) Bleek, Einleitung in das A. Testament 1870 p. 807, Noeldeke l. l. 262, Gesenius l. l. 86, Haevernik, Allgemeine Einleitung in das A. T. ed. Keil pag. 403, alii.

2) Cf. Hottinger, Bibl. Orient. pag. 87 seqq.

3) Apud Ed. Pocockium: Commentarius in prophetiam Joelis (Lipsiae 1695), praef. pag. 4.

4) Verba vero Takrîtii ante Ephr. in ecclesia Edessena linguam Hebraicam esse usurpatam docent, quae res animo perpendenti, illum sermonem a Christianis, qui tum erant, parum intellectum, quam quo uterentur in Libris Sacris recitandis, primo aspectu dubia potest videri. Nihilo secius locus noster lucem affert plurimam caligini tenebrisque, quibus adhuc Versio Nostra obruta erat. De Takrîtii verbis infra uberius nobis erit disputandum.

missam faciamus, — licet Pesch. aliquot annos ante Ephraemum auctoritate ecclesiastica floruerit, tamen non percipitur quonam pacto inde Christianam eliciamus originem. Num illius aetatis Christiani versionem a Judaeis conscriptam accipere dubitavissent? Tum Judaei soli sermonis Hebraici erant gnari, Christianisque, quum de V. T. agebatur, ab illis auxilium erat petendum. At quantum Syros fons Judaicus offenderit, inde licet cognosci, quod tacite eum fabulae ipsae probant, quum Palaestinam Pesch. patriam esse statuant. Nonne versio LXX interpp. a Judaeis est confecta, quamquam ubivis abiit in usum canonicum?

II. Ut vero originem Judaicam excutiant, versionis fidem simplicitatemque parum respondere dicunt Judaeorum ingenio ac rationi[1]); quam rem ipsam Ric. Simon[2]) ad auctorem Judaeum efficiendum in medium protulit; sed nec hic nec illi sententiam suam documentis satis confirmaverunt. Haud ambigue quidem in argumentando Simonio Aquilae perdiligens auxiaque versio ante oculos est obversata, Wichelh. vero de Targumis paraphrasticis cogitavit. Nec est quod cum illis viris faciamus, quoniam illae versiones ex temporibus quibusdam pendent et ad finem certum sunt conscriptae. Falsissimum autem dixerim, inde facere coniecturam, quae Judaica tum vertendi ratio fuerit, quae non fuerit. Quum toto fere Oriente lingua Graeca floreret[3]) LXX interpp. versio longe fuit divulgata, nec sermo Hebraicus facile patrios transiit fines. Quod vero LXX interpp. versio multas ob causas fidem Judaeorum amittebat et a Christianis ad aggrediendos adversarios et dogmata sua probanda adhibebatur, Aquila novam Graecam instituit versionem, quae *ἀρχέτυπον* compensaret, i. e. singula contextus verba redderet fideliter, adulterationesque LXX interpp. exstingueret, nec ex Rabbi Akibae disciplina et ratione vocabula particulasve interpretandi de-

1) Gesenius l. l. 86; Wichelhaus pag. 73: »Neque ea simplicitate gaudebant Judaei, qua versio Syrorum nitet et emicat«.

2) l. l. pag. 305.

3) Cf. Joseph. Ant. 16, 3, 4.

meret occasionem[1]). Ita nata est fides anxia notaque versionis Aquilae, quae, tempore Rab. Akibae, LXX interpp. auctoritatem deleret eorumque errores corrigeret. Versio quidem ad litteram fere confecta linguae Graecae vim quandam debebat affere; qua vero erant necessitudine sermones Aramaeus et Hebraeus, translatio simplex et fidelis multo fuit facilior. — Rursus exstitit in Palaestina interpretandi ratio paraphrastica מתורגמנים qui, ubi translatione ad verbum facta opus non erat, — sive quod sermo Hebraicus satis erat cognitus sive homines recurrebant ad LXX interpp[2]). — ad usum synagogarum per paraphrasin Biblia explicabant. Quod vero *aiunt* versiones non ita ad litteram factas ut Aquilae, nec tam paraphrasticas quam Targumim, propter eam ipsam causam non a Judaeis esse profectas: haec argumentatio absurdissima mihi videtur[3]).

III. Noeldeke[4]) quidem sine iusta argumentatione coniectavit, Pesch. quam omnes Syrorum sectae in usum ecclesiasticum receperunt, *nunquam apud Judaeos fuisse usitatam.* Quae vero causa virum doctissimum ad istam opinionem impulerit, penitus non intellego[5]). Nam quod in libris Talmudicis Pesch. nomen nusquam exstat, nihil omnino refert, quia vocabulum ܦܫܝܛܬܐ primum invenitur apud Bar-Hebraeum. Sed quoniam in Talmude voces תרגום[6]) sive מתרגמינן („in-

1) Cf. Geiger, Urschrift und Uebersetzungen etc. pag. 161 seqq.

2) Etiam I saec. Christ. LXX interpp. summa apud Judaeos viguerunt auctoritate iisque Josephus, quamquam Hebraici sermonis gnarus, plerumque usus est.

3) Cf. Targumim paraphrast. et versionem Aquilae cum Onkeloso et LXX interpp. quorum ratio vertendi persaepe cum Simplice concinit, quam levis inanisque sit illa opinio cognosces.

4) l. l. 262.

5) Noeldeke vero ad suam coniecturam probandam nihil adnotavit nisi haec: »Ferner ist die Peschita, *so weit wir wissen,* nie von Juden gebraucht.

6) Cf. Talm. Hieros. Sabbath c. 16 § 1; et Babli Sabbath 115a; Megillah 3. a.

terpretamur“) ad versiones quae perhibebantur, in universum respiciunt [1]), difficile est diiudicatu, utrum versio Syriaca in Talmude laudetur, necne [2]). Attamen quem ad modum inde concludatur, Pesch. apud Judaeos non in usu fuisse, parum perspicio [3]). Contrarium infra demonstrabimus.

IV. Atque Noeldeke [4]), ut Christianam probet Simplicis originem, ait haecce: „Auch ist der Dialekt, in dem sie (Pesch.) abgefasst ist, derselbe der in dem syrischen Neuen

---

1) Aliter res se habet in Targ. Jonath., quod in Talmude verbis: תירגם ר׳ יוסף laudatur. Cf. Zunz: Gottesdienstliche Vorträge pag. 63.

2) Exempla, quae sequuntur, non minus ad Simplicem quam ad Onkelosum referri possunt: Megilla 10 b: מר דרור (Exod. 30, 23) ומתרגמינן מרי דכי; Onkelos exhibet: מירא דכיא; Pesch. ܡܘܪܐ ܕܟܝܐ. — Rosch hasch. 33b: יום תרועה יהיה לכם (Num. 29, 1) ומתרגמינן יום יבבא יהא לכון, Onk.: יום יבבא יהא לכון Pesch.: ܝܘܡܐ ܕܝܒܒܐ ܢܗܘܐ ܠܟܘܢ; Vocem יבבא eundem sensum habere Talmud l. l. vult. atque vox Hebraica: וַתְּיַבֵּב אם סיסרא (Jud. 5, 28); Ita etiam Pesch. vertit: ܘܡܝܒܒܐ ܐܡܗ ܕܣܝܣܪܐ; — Sabbath 10b: האל הנאמן (Deut. 7, 9) דמתרגמינן אלהא מהימנא . . ., Onk. אלהא מהימנא; Pesch.: ܐܠܗܐ ܡܗܝܡܢܐ; — ibid. 28. a: התחש (Num. 4, 25) . . . היינו דמתרגמינן ססגונא; Onk. ססגונא, Pesch.: ܣܣܓܘܢܐ; Ad נבוב לוחות (Exod. 27, 8) in Baba Bathra 12b. legitur: ומתרגמינן חליל; Onkel: חליללוחין; Pesch. ܚܠܝܠܐ ܕܕܦܐ; — Nidda 31b: וחטא את הבית; (Lev. 14, 52) ומתרגמינן וידכי ית ביתא; Onk.: וידכי ית ביתא, Pesch.: ܘܢܕܟܝܘܗܝ ܠܒܝܬܐ; — Cf. Gittin 68b: ad vocem הדוכיפת (Lev. 11, 19 et Deut. 14, 18): מתרגמינן נגר טורא, quod congruit cum Onkeloso; verba נגר טורא ibid. explicantur per תרנגולא ברא, quod respondet Pesch.: ܕܬܪܢܓܘܠܐ ܒܪܐ —

3) Idcirco, quod Wichelhaus volebat, tollitur: »In Talmude proculdubio mentio exstaret huius versionis, si hominis Judaei opus esset«. (pag. 73).

4) l. l. pag. 262.

Testamente herrscht [1]) und der überhaupt die Schriftsprache der christl. Syrer bildet, deren erstes Monument für uns wenigstens eben sie ist, während wir keine jüdischen Schriften in dieser Mundart kennen.“ Noeldeke quidem ipse secum discrepat et iam pagina insequenti, quod modo obiecit, diluit; arbitratur enim versionem Syriacam Paralipomenon a Judaeis confectam [2]); ergo sequitur, fuisse Judaeorum scripta hac dialecto expressa. Sed haec hactenus, quoniam ad hanc quaestionem infra redire in animo est [3]).

V. Nunc vero de locis nonnullis nobis est disserendum, quorum interpretatio in Simplice Nostra Gesenio, Dathio, Noeldekio, aliis, Christianam originem probare videtur: Primum laudant Jesaia 7,14 הנה העלמה הרה Pesch: ܗܐ ܒܬܘܠܬܐ ܒܛܢܐ quae verba ad Messiam ex utero *virginis* editum illi referunt, (Alioquin עלמה in Simplice semper redditur per ܥܠܝܡܬܐ),

---

1) Num Noeldeke Hebraismos et Chaldaismos, qui innumeris V. T. Pesch. locis inveniuntur, perraro in Novo respexit? Quamvis vero dialectus Syriaca, quae nominatur et in V. T. et in Novo exstet, tamen huius sermo valde distat ab illo.

2) »Eine besondere Stellung nimmt aber die syrische Uebersetzung der Chronik ein. Diese ist allerdings ein reines Targum . . . Den rein jüdischen Charakter zeigt die Stelle I Chr. 5,2 wo es heisst: »Aus Juda *wird hervorgehen* der König Messias.« Wer diesen Zusatz gemacht hat, für den war doch Christus noch nicht gekommen. Bei diesem wenig gelesenen Buche haben die Syrer also ein jüdisches Targum arglos übernommen.

3) Argumentationes Hirzelii, Haevernikii, Michaelis, aliorum, qui originem Christianam probare student, refutare, hic non opus esse mihi videtur, quoniam ab aliis satis sunt repulsae: 1) Illi enim dicunt, Simplicem non uti Targumis, quod deberet facere versio Judaica — haec vero res fieri non potuit, quoniam Targumin ad aetatem posteriorem sunt referenda, quam Pesch. — nec illi viderunt, integros fere versus congruere cum Onkeloso. 2) Quod vero dicunt, a Simpl. non circumscribi antropomorphismos, Perles iam multis testimoniis allatis contrarium praeclare effecit, cuius rei, quum de Psalmis agemus, exempla afferemus ampliora.

quod quidem illis concedendum est; nam homo Judaeus hoc loco עלמה non ܒܬܘܠܬܐ reddere potuit, praesertim eo tempore, quo verba vulgo ad Christum referebantur. Deinde Jesaia 9, 5 ויקרא שמו . . . אל גבור Pesch.: ܘܐܬܩܪܝ ܫܡܗ . . . ܐܠܗܐ ܓܢܒܪܐ speciem Christianam prae se fert, quandoquidem Judaeus „puero modo nato" nomen Dei certe non indidit. Minoris autem momenti sunt loci quos addiiciunt: Jesaj 53, 8, נגע למו, Pesch. ܩܪܒ ܠܗ, numerum singularem positum esse putat Gesenius, „damit er als Individuum erscheine und nicht collectiv genommen werde". Nec ille vidit etiam LXX exhibere singularem numerum: (ἤχθη εἰς θάνατον), idcirco viri doctissimi interpretatio arbitraria omnino stare nequit, praesertim quum in textu Hebraico ex inopinato numeri permutationem hic deprehendimus. Jesaia 52, 15 כן יזה Pesch.: ܗܟܢܐ ܢܕܟܐ; יזה vocem vim habere purgandi tam evidens est, ut non possis cogitare de ratione Christiana. Zachar. 12, 10, את אשר דקרו Pesch.: ܘܢܚܘܪܘܢ ܠܘܬܝ ܒܡܢ ܕܕܩܪܘ cf. eadem verba in versione Syro-Hexaplari, (Theodoth). Adiiciunt vero aliquot locos ex Psalmis petitos, qui accurate solummodo contextum reddunt [1]).

Atque quum complectimur, quae sequantur ex iis, quae supra diximus, praeter argumentum ultimo loco allatum nihil est quod speciem quandam veritatis prae se ferat ad Christianam originem probandam.

Jam vero necesse est examinemus causas quae ad Judaicam originem illustrandam afferuntur. Versionis quidem Nostrae simplicitatem et fidem nec Judaicum auctorem nec Christianum comprobare supra iam commemoravimus; nec facio cum Perlesio qui, quod Bar-Hebraeus Simplicem „rudem" (ܦܫܝܛܐ [2]) appellat, Judaicam inde coniecit originem; ille enim Simplicem ita nominavit, quod gravia grammatices peccata deprehendit [3]). Atque etiamsi LXX interpp. persaepe

---

1) De his locis et de Psalmorum inscriptionibus cf. infra.

2) Assem. Bibl. Orient II, 281.

3) Vid. exempla, quae Assemani (B. O. II, 279 seqq.) de Bar-Hebr. grammatica laudat; adiice locum ex »Horreo mysterio-

cum N. T. congruentibus plus tribuit dignitatis[1]) tamen Pesch. a scriptore Judaico non vult profectam; nam ipse Versionem Nostram regnante Abgaro factam esse censuit Adaeo Apostolo auctore. Quod vero Perles magna cum doctrina pro Judaica origine profert, permultas interpretationes Halachicas Hagadicasque in Simplice Nostra inveniri, viri docti hanc sententiam non penitus sunt amplexi; rem enim ita expediverunt, ut auctorem sumerent Judaeo-Christianum aut Christianum, quem Judaei docti adiuvassent. Mihi quidem parum videtur probabile, Christianum adeo vestigiis Halacham esse persecutum, imprimis quum respiciuntur leges, quae exstant de cibariis sumendis[2]), de Sabbathis agendis[3]), de sacris faciendis[4]), vel de interdicto matrimonio cum ethnicis mulieribus contrahendo[5]). Tanti certe momenti ne apud

---

rum« (apud Wiseman l.l. 106): ܘܐܡܪ ... (Ps. 4, 5) ܐܡܪܘ ܒܠܒܟܘܢ ܡܛܘܠ ܕܡܦܩܝܢ ܒܠܒܘܬܟܘܢ ܐܝܟ ܗܘܐ ܕܐܡܪ ܡܛܠ ܕܠܒܘܬܐ ܐܡܪܝܢ ܘܠܗ ܠܒܐ . ܘܗܕܐ ܚܕܐ ܡܢ ܗܘܕܪܬܐ ܕܒܘܪܬ ܡܚܫܒܬܐ ܗܕܐ ܒܡܫܬܐ.

1) Assem. B. O. II, 281.

2) Satis sit attulisse exempla nonnulla insignia, ubi translator ad Halachae naturam reddendam a vocabuli sensu prorsus declinavit: ובשר בשדה טרפה לא תאכלו (Exod. 22, 30) Pesch.: ܘܒܣܪܐ ܕܢܟܝܬ ܡܢ ܚܝܘܬܐ ܚܝܬܐ ܠܐ ܬܐܟܠܘܢ, plane ut Onk. et Psdjonath. cf. Cholin 102 b. ובשר בשדה טרפה לא תאכלו זה בשר מן החי; — לא תבשל גדי (Exod. 34, 26) Pesch. ܠܐ ܬܒܫܠ.

3) ואת כל העודף הניחו לכם למשמרת (Exod. 16, 23) Pesch.: ܘܡܛܠ ܕܝܬܝܪ ܫܒܘ ܠܟܘܢ ܢܛܝܪܐ ܠܨܦܪܐ — ביום השבת ביום השבת יערכנו (Lev. 24, 8) Pesch.: ܒܫܒܬܐ ܕܫܒܬܐ ܢܗܘܐ ܣܕܪ ܠܗܘܢ, cf. Menachoth 97 a.

4) והעמיד אותם לפני ה" (Lev. 16, 7) Pesch.: ܘܢܩܝܡ ܐܢܘܢ ܟܕ ܚܝܝܢ ܩܕܡ ܡܪܝܐ cf. Cholin 11 a.

5) ומזרעך לא תתן להעביר למלך (Lev. 18, 21) Pesch.: ܘܡܢ ܙܪܥܟ ܠܐ ܬܬܠ ܠܡܫܥܒܕܘ ܒܢܘܟܪܝܬܐ; cf. Megilla 25 a: מעביר בנו ובתו זה הבועל ארמית . . . cf. Perles pag. 41 seqq.

Hieronymum, qui omnino a Judaeis pendet, vis est Judaica [1]).

Atque artissime cum hisce cohaeret, quod in Pesch. anthropomorphismi — ut ita dicam — circumscribuntur et euphemismi adhibentur; nec exiguus exstat cum Targumis aetate posteriore conscriptis consensus, maxime cum Onkeloso [2]). Rebus ita comparatis optimo iure locorum singularium, qui probant auctorem Christianum, rationem nullam habemus et hos postea a Christianis mutatos esse statuimus. Tanta quidem in probabilitate quum non queamus acquiescere, ut firmiora ad quaestionem absolvendam proponamus argumenta, nobis est videndum. Antea vero, quantum nos progredi sinit certa rerum historia, linguae Syriacae usus, qualis fuerit, est illustrandus. —

Postquam Judaei Esra duce redierunt in patriam, sive iam antea consuetudinem cum gentibus Aramaeis quandam habuerant [3]), sive aliquamdiu in Babylonia erant morati, dialetcus Aramaea Palaestinam irrepsit et magis magisque sermonem patrium de loco demovit [4]) Accedebat quod sub Seleucidarum auspiciis Graecum quoque idioma fines Judaeorum transiit. Hoc quidem, postquam Maccabaei superiores discesserant, rursus reprimebatur [5]), tamen colebatur ab hominibus eruditis, Aramaea autem lingua in dies magis accrevit, postremoque vulgi evasit sermo. Ita res se habuit I ante Ch. n. saeculo; certe circa Christi aetatem Aramaea dialectus in Palaestina erat tritissima, eique nomen Hebraicae (sc. lin-

---

1) Cf. Moritz Rahmer, die hebräischen Traditionen in den Werken des Hyronymus etc. in Frankelii: Monatsschrift 1865, pag. 218 ff.

2) Exempla reperies apud Perles. pag. 18 seqq. et 28 seqq.

3) Cf. Jesaia 16, 11—13; II regg. 38, 26.

4) Cf. Zunz l. l. pag. 7 seqq.

5) Maccabaei quidem linguam Hebraeam in pristinam dignitatem volebant restituere, quae res breve per tempus prospere processit (cf. Rosch hasch. 18 b., Taanit 31 b, Succah 51 b, 53 a) cessit vero non ita multo post idiomati Aramaeo. (Cf. Sotah 33 a.)

guae) est inditum[1]), quae esset contraria Graecae. Atque ut plebs linguam illam habebat vernaculam, eamque Graecae tamquam peregrinae et profanae praeferebat, ita Judaeo-Christiani initio quadam cum pertinacia dialectum Aramaeam retinebant[2]).

Similis vero condicio erat in reliquis Orientis terris. Graeca quidem lingua multifariam erat cognita; vulgus vero Aramaeam ubivis in amore ac deliciis habebat. Graeca lingua maxime vigebat in urbibus, quae multitudine et opulentia excellebant, ubi plerumque Graeci graviter erant seiuncti a Syris, nec raro contentiones dissensionesque inter se agebant. Sed accuratius de singularum regionum sermone disserere liceat. In Babylonia quidem et in regionibus ad Euphratis ostium sitis, ubi inde ab exsilio multi se suaque collocaverant Judaei, Aramaeus sermo Josepho vivo praevalebat, paucique Graeci passim terram incolebant; Seleucienses in Syros et Graecos erant divisi, cum illis faciebant Judaei, eodemque utebantur idiomate. Atque Graecorum impetus ut vitarent, Judaei se contulerunt Naardam aut Nisibin[3]), quae urbs laude litterarum II et III saec. Christian. non mediocriter florebat[4]); Edessae sermo Syriacus solummodo vigebat — Ephraemi tempore dialectus Edessena optimum habebatur exemplar —; Adiabenes numerus Judaeorum erat magnus, postquam Izates rex ad Judaeorum religionem est conversus. Damasci transitiones fiebant permultae ad Judaeos, imprimis feminarum[5]). Ubivis Judaei linguam Aramaeam suam reddebant, seque accommodabant Syris quam maxime[6]).

---

1) Paulus et Jesus ad plebem Aramaice concionati sunt, quae lingua »Ἑβραϊστί« appelatur in N. T. Cf. infra.

2) Testis est Evangelium Nazaraeorum et Ebionitarum »Hebraice« scriptum.

3) Cf. Joseph. antiqq. XVIII, 1, 1—9.

4) Nisibi postea quoque lingua Syriaca sola vigebat, aut certe praevalebat, cum Ephraemus Nisibensis Graeci sermonis esset imperitus.

5) Jos. de bello Jud. II, 20, 2.

6) Antiochiae, qua in urbe Graeca lingua in communem usum abierat, Judaeorum pars Aramaeam retinebat.

De dialectis vero Aramaeis nostra aetate multum est disputatum, praecipue in disceptationem res est vocata, utrum Chaldaeus et Syriacus sermo idem esset an tantum aliqua ex parte inter se congruerent, qua de re fusius uberiusve facere verba hic non est locus. Pro certo quidem potest haberi, discrimina, quae in grammatica, vocalibus, litteris intercedunt, antiquitus, si non nulla, tamen parva fuisse [1]), quae fortasse profecta sunt ex enuntiatis regionibus quibusdam magis familiaribus; nec parvum contulit ad illa discrimina augenda vis linguarum Graecae et Hebraeae, imprimis quum litterae Assyriae vel quadratae, quae linguae Aramaeae propriae fuerant, ad Hebraicum quoque coeptae essent usurpari [2]).

His breviter praemissis redeamus nunc ad propositum nostrum et quibus temporibus Simplex Nostra nata sit, illustremus. Paucis iam supra monuimus, post exsilium Babylonium fines sermonis Hebraici magis magisque esse cohibitos. Quum vero Esra et Nehemia Mosaicis legibus institutisque populum vellent devinctum destrictumque, hae leges sermone omnibus noto, i. e. Aramaeo, exprimerentur erat necesse [3]). Primum quidem interpretatio ad locos fortasse difficiliores spectabat, aut ad verba, quae peculiariter debebant intellegi. Ita Targumim quaedam exstiterunt, quae ne Pentateuchum quidem integrum continuerunt, nedum totam Scripturam Sacram. Fuisse quidem *Paraphrases* et interpretationes contextus recitandi, nec cogitari posse de *propria versione*, apparet. Quum vero sermo Hebraicus in dies magis usurpari desineretur, Aramaeus inveterasceret, Libri Sacri plus minusve in usum vulgarem abirent, Halachicae Hagadicaeque explicationes emergerent, Targumim etiam atque etiam sunt amplificata, munusque interpretum, qui מתורגמנים vocantur, ortum est, qui non arbitraria usi ratione, sed ea, quae tum erat norma,

---

1) Argumentationem hujus rei vid. Bleek: Einleitung etc. 1870 pag. 56 seqq. cf. Noeldeke et Merx Z. D. M. G. 1868 pag. 271 ff.

2) Cf. Esra IV, 7, 17.

3) Cf. Nehemia 8, 8.

Biblia explicarent[1]). Ceterum num versiones Librorum Sacrorum ad verbum confectae in Palaestina perhibitae fuerint, magnopere est dubium; nam quia illo tempore scholae Judaicae florebant, Hebraici sermonis cognitio satis ampla erat, nec quidquam nisi explicationes erat necessarium. At aliter res se habebat extra Palaestinae fines: in Aegypto quidem quamvis paullo post I templum dirutum magni Judaeorum essent conventus, sermonis Hebraici usus nullus fere erat, neque ita multo post necessitas exstitit ad res divinas rite agendas translationis quam maxime ad verbum conscribendae. Ita nata est versio LXX interpp. quae quidem non sine auctoritate Palaestinensium facta est, quos conventus Aegyptii in rebus divinis consulere solebant[2]). Quanti vero momenti versio Alexandrina fuerit, ubicunque sermo Graecus vigebat, res est notissima. Qualis vero fuit condicio Judaeorum, qui per totum fere Orientem dispersi Aramaeam tantum linguam callebant? Josephus[3]) quidem prodidit memoriae nullum fuisse angelum orbis terrarum, ubi non habitarent Judaei; in oppidis locupletioribus Syriae, Mesopotamiae, Babyloniae synagogae, in quibus litterae sacrae recitabantur, multo ante Hierosolyma deleta sunt exstructae[4]), atque quum multi essent

---

1) Eiusmodi reliquiae quamvis mutilae in paraphrasi Pentateuchi Hierosolymitana perhibentur.

2) Quam vim habuerint Palaestinenses ad LXX interpp. versionem conficiendam, ingeniose demonstravit Frankel in libris qui inscribuntur: »Einfluss der Palästinensischen Exegese auf die Alexandrinische Hermeneutik«, et »Ueber Palästinische und Alexandrinische Schriftforschung«.

3) Antiqq. XIV, 7, 2 testem affert Strabonem dicentem haec: *αὕτη (τῶν Ἰουδαίων) δ' εἰς πᾶσαν πόλιν ἤδη παρεληλύθει καὶ τόπον οὐκ ἔστι ῥαδίως εὑρεῖν τῆς οἰκουμένης ὅς οὐ παραδέδεκται τοῦτο τὸ φῦλον μηδ' ἐπικρατεῖται ὑπ' αὐτοῦ.* Cf. De bello Jud. II, 16, 4.

3) Quod supra in universum memoravimus, Judaeos per totum Orientem fuisse diffusos, hoc loco accuratius explicaverimus: Quo enim tempore religio Christiana fines suos coepit prolatare, Judaei incolebant imperium Romanum et Parthicum, multum va-

proselyti, qui omnino linguae Hebraicae erant imperiti, et interpretes ipsi deberent normam quandam observare in explicandis Libris sacris: haec omnia nos commovent, Aramaeas sive Syriacas Bibliorum translationes statuere. Adiice, quod Targumim Palaestinensia litteris consignari vetitum erat, ne eadem dignitate fruerentur, qua exemplar Hebraicum; quod interdictum etiamsi non diu [1]), tamen initio valuit, ac demum brevi ante ortum Christianae ecclesiae perscripta fuisse Targumim existimare licet; extra vero Palaestinae fines iam multo ante haud ambigue versiones perhibenantur (testis est LXX interpp. versio). Qua in quaestione etiam versionis Aramaeae multo vetustioris ratio est habenda, de qua apud LXX interpp. hoc scholion ad Jobi librum extr. exstat: *οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου κτλ.* Quae verba ad aetatem veterem pertinent, quia iam apud Aristeam et Aristobulum laudantur [2]). Fuit igitur saec. II a. Ch. n. ver-

---

lebant in Aegypto, Cyrene (cf. Jos. antiqq. XIV, 7, 2) in Syria, Cilicia, Mesopotamia, quin etiam trans Euphratem in Armenia et Media vestigia posuerant (cf. Joseph. bell. Jud. II, 16, 4,); Antiochiae (ibid. VII, 3, 3) et Edessae (Wichelh. pag. 26) synagogae Judaeorum erant magnificentissimae; in Babylonia, quam alteram habebant patriam, Asilai et Anilai adolescentes summa vi regnum ad Euphratem constituerunt Judaicum; (Jos. ant. XVIII, 9) in regno Adiabenensi permulti versabantur Judaei iam antequam Monobazus et Helena ad religionem Hebraeorum sunt conversi, nec vero est praetermittendum ubique multos ad sacra Judaica transiisse (Jos contra Ap. II, 10, de bell. Jud. II, 18, 12; VII, 3, 3, II, 20, 2).

1) Jam I saec. Christianorum Targumim calamo esse excepta satis apparet ex Talm. Hieros. Sabbath cap. 16, 1; מעשה ברבן גמליאל (flor. I. saec.) שהיה עומד על הבנין בהר הבית והביאו לו ספר איוב כתוב תרגום. Zunz (l. l. pag. 62) quidem arbitratus, non Jobum prius quam ceteros S. S. libros translatum esse, Targumim absolutorum aetatem superiorum statuit. Equidem coniecerim, libros qui minoris momenti essent et ubi Halachica interpretatio nihil valeret, primos esse scriptos.

2) Cf. quod nuperrime de hoc loco ingeniose coniectavit Freudenthal (Hellenistische Studien II. pag. 139 seqq.)

sio aliqua Syriaca, atque etiamsi esset Targum *Palaestinense*, iure nostro etiam apud exteros Judaeos versiones exstitisse coniectaremus; nam expresse repeto: si Palaestinensibus translatione opus erat, ubi sermo Hebraicus enixe fovebatur, studiaque Bibliorum maxime florebant, maior eius rei necessitas evasit, quibus in regionibus notitia litterarum Judaicarum parum erat divulgata, paucique viri docti Judaei deprehendebantur. *Inde ab hoc tempore* (nam ad aetatem superiorem nulla nos ducunt vestigia), ut disputationis finem praesumamus, *Versio Nostra, cui postea nomen Peschittho est impositum, coepta est conscribi.* Dubiis enim fragmentis Targumi Hierosolymitani, quod nominatur, ad Pentateuchum posthabitis, quod Targumim omnia, quae sciamus, ex aetate posteriore fluxerunt, Peschittho una versio relinquitur, quae rebus modo descriptis possit attemperari. Nostram quidem opinionem licet sola flagitaret rerum necessitas, tamen iustum esset eam amplecti, quia, quantum compertum habeamus, nihil ceteroquin repugnat. Infra vero argumenta afferemus ad hanc sententiam stabiliendam et ad omnes de Simplicis aetáte et auctore difficultates expediendas.

Ut LXX interpp. versio ita etiam Pesch. a Palaestinensi interpretatione pendet, quod Judaei extra fines Palaestinae sermonis Hebraici et litterarum Judaicarum non satis periti et in rebus divinis parum sibi confisi, nova introducere nolebant, nec Synhedrium Hierosolymitanum consulere intermittebant[1]). Hoc momentum, quod unum fabulis de LXX interpp. versionis origine narratis subest, etiam ad Pesch. valet; (quod omnes Syrorum fabulae supra laudatae probant); nam fabulae homines et tempora eligunt, quae summa sunt auctoritate apud vulgum[2]). Supra iam commemoravimus

1) Cf. Act. 28, 21.

2) De persona, quam gerit in fabulis Syrorum Salomo cf. Wiseman l. l. 97 seqq. De Abgaro cf. Eichhorn I, 477 seqq. Equidem fabulam, quae de Abgaro fertur, originem duxisse apud Judaos coniectaverim; Genes. Rab. c. 46 legitur: מעשה במונבז המלך ובזוטוס (Izates) בניו של תלמי (Ptolomaeus) המלך שהיו

mirum exstare consensum inter quosdam Simplicis et LXX interpp. locos. Etiamsi multos ex emendatione profectos esse concedimus, non ubivis ad hoc remedium est confugiendum. Si vero recte videmus, non tantopere integrae sententiae quam singulae voces inter se congruunt. Occurrunt nobis interdum loci, ubi ad litteram fere vocabula singula et in Pesch. et in LXX versione inter se conveniunt; neque tamen eandem efficiunt vim *sententiarum.* Eiusmodi exempla, quae plus minusve in omnibus Scripturae Sacrae libris, maximeque in Psalmis, exstant, non docent Syris interpretibus suppeditasse LXX interpp. versionem, quoniam translatio magis debebant respondere argumento naturaeque sententiarum. Quum vero Simplex et LXX interpp. eundem contextum sequantur vocibusque eandem vim subiiciant, nihilo secius utraque versio per se ipsa de exemplo Hebraico est derivata. Communis igitur iis est par similisve Palaestinensis interpretatio; quae res ipsa non multum temporis inter illas versiones distare demonstrat. Certum quidem temporis momentum, quo et LXX interpp. versio et Simplex natae sint, non potest statui. Nam utraque versio e necessitate quadam populi est profecta, idque paullatim; nec cogitari potest de uno temporis momento vel de uno auctore; quo factum est, ut diversa esset partium singularum transferendarum ratio, quae quidem res non minus temporum quam auctorum varietatem comprobat; nam difficile tanta sentiendi et dicendi intellegitur discrepantia, si *auctores* tantum complures[1]) statuamus. Atque quum versio Alexandrina,

יושבין וקורין בספר בראשית. Videmus igitur fabulas de Pesch. et LXX origine confusas, quoniam Monobazus et Izates filii *Ptolomaei* appellantur.

1) Quomodo rem absolvamus, si non Judaeum auctorem Simplicis fuisse censemus, nescire me profiteor. Quia vero ingenium Judaicum ubivis emicat, minimum ad Judaeo-Christianos est confugiendum. Hi quidem aeque linguae Hebraicae ac traditionis Judaeorum gnari *eodem tempore*, neque tamen eandem secuti vertendi rationem opus confecisse essent fingendi. Quae res nimis ad similitudinem originis fabulosae, quae versioni LXX interpp. tribuitur, concinnata videtur, quam ut fidem ei habeamus.

exiguo intervallo interposito, canonicam fere consequeretur dignitatem, in diesque magis exemplar Hebraicum repelleret, ita ut Palaestinensis Librorum Sacrorum interpretatio tantum in *vitae usu* aliquid valeret apud Judaeos Aegyptios, nihil vero ponderis haberet ad versionem ipsam, (cf. Geiger l. l. 161) Simplicis Nostrae condicio prorsus alia fuit. In Palaestina quidem, quod versionem litteris consignari, ne forte in canonicam abiret consuetudinem, vetitum erat, Targumim quolibet tempore mutabantur et emendabantur. Idem accidit Simplici [1]), cuius rei causae hae fuerunt: primum quidem, quum necessitudo Aramaei et Hebraei sermonum artissima contextum sacrum non sineret removeri, Pesch. nusquam ad tantam dignitatem est evecta, quin temporibus adaptaretur; deinde quod commercium Syriae et Palaestinae erat magnum, et interpretes utriusque terrae eadem fere lingua sunt usi, natura rerum tulit, ut Pesch. a norma interpretandi Hierosolymitana, quae vigebat, aliquatenus penderet; quae res etiam quarundam proprietatum, quae nobis occurrunt in Simplice, dissipat caliginem. Versio quidem Nostra sermone Aramaeo occidentali, qui dicitur, composita, multos exhibet Chaldaismos ab ingenio linguae Syriacae alienos, qui sine dubio prioris usus reliquiae sunt habendi [2]). Aramaea vero dialectus an-

---

1) Pentateuchus ad praelectiones synagogicas destinatus, primumque translatus ratione unitatis habita, hoc colore in Pesch. nostra plane caret. Quod vero Genesis Simplicis magnam cum LXX interpp. versione habet similitudinem, quae in reliquis Pentateuchi libris fere nulla est, Perles Geneseos auctorem alium vult: quae sententia per se quidem non est probabilis, quia omnes Pentateuchi partes pariter ad usum synagogicum adhibebantur. Res autem optime explicari videtur eo, quod Genesis, quae non continebat interpretationes Halachicas, magis reliquis libris pristinam servavit indolem, hi autem leges Halachicas paullatim ortas acceperunt vehementerque a statu priore discesserunt. Idem demonstrant Turgumim ad Proverbia et Ezechielem, quae nihil aliud sunt nisi Simplex multifariam aucta et mutata.

2) Velut ܘܠ vocabulum, — crux interpretum, qui ad singu-

tiquitus a Palaestinensibus recepta, sensim est mutata et in Galilaea, Coelesyria cett., forma Chaldaica abiecta, Syriasmo se applicavit; nec potest videri mirum, quod sub manibus מתורגמנים, ut aetas poscebat, Simplex subiit mutationes, nihilo secius pristini sermonis vestigia manserunt, quae demum in lucem prodierunt, quum merus Ephraemi sermo Syriacus iam floreret[1]). Ceterum Pesch. ad usum popularem destinata, ingenii et religionum, quae in vulgi animis erant infixae, habere debebat rationem: *argumentum* quidem eius non est mutatum, nisi de *decretis Halachicis, nec fluxit* ab hominum *arbitrio; sermo* vero intellegentiae omnium est attemperatus. Hoc Targumim cunctorum fuit fatum. Minus religiose actum est de Hagadicis explicationibus, quae ad historicas et poeticas partes Scripturae Sacrae, imprimis Prophetarum, pertinebant. Hae autem mutationes non usu venerunt, nisi ubi indagatio Librorum Sacrorum in summo erat flore et viri doctissimi in Hagada navabant operam. Ita in Palaestina saec. I ante Ch. n. paraphrases Hierosolymitanae exstiterunt et saec. III et IV p. Ch. Babyloniae, qua aetate litterae Judaicae in scholis Babyloniis maxime florebant. Versiones quidem Aramaeae nunquam apud Judaeos eandem habuerunt vim, quam contextus Hebraicus, nec certum finem certamque dignitatem sunt consecutae.

Quum in Syria religio Christiana diffundi coepta est,

---

lares coniecturas confugerunt — quod in primo versu Genes. legimus; hunc locum non »classicum dictum« (cf. Eichhorn p. 481,) fuisse ex eo apparet, quod ܝܬ vocabulum praeter nostrum locum *septies* in Simplice extat. (Eccles. II, 3; III, 17 (bis); IV, 1; IX, 1; cant. III, 5; VIII, 5).

1) Peschitth. in Syria, Babylonia, Mesopotamia antiquitus apud Judaeos divulgatam fuisse, inde licet colligi, quod in omnibus his regionibus postea in Christianarum scotarum usum abiit; nec est sine specie veri, antequam dialecti essent stabilitae, Simplicem variis locis varias tulisse linguae mutationes (cf. infra).

Pesch. ab omnibus Syriae Judaeis in synagogarum usu adhibebatur [1]). Primo quidem tempore Christiani munus interpretum (ἑρμηνευτῶν) de synagogis in ecclesiam suam introduxerunt [2]), qui V. T. recitarent et interpretarentur. Nec facile quisquam, nisi qui genere erat Judaeus, adiit honorem illum, quoniam Judaei soli sermonem Hebraicum naturamque V. T. noverant. Qua in re, qui Graece loquebantur, LXX interpp. versione ad interpratationem usi sunt; ubi vero linguae Graecae parum vigebat, ad versionem Aramaeam tum apud omnes Judaeos divulgatam confugisse interpretes, consentaneum est. Neque vero solum ad recitationem textus Hebraici, sed etiam ad versionem illam Aramaeam interpretationis causa usurpandam Judaeo-Christiani erant adhibendi. Nam quid Christiano faciendum erat cum Chaldaismis et Hebraismis, quibus Pesch. etiamnunc scatet [3])? Quamnam habebat notitiam Halachicarum interpretationum Hagadicarumque explicationum? Adiice quod versiones Aramaeae Assyriis litteris i. e. quadratis, quae Hebraicae appellabantur, expressae erant, quas quidem Christiani ignorabant. Qua enim pertinacia Judaei ubivis patrium sermonem retinebant, eadem litteris quadratis linguam suam exarabant [4]). Quo factum est, ut saec. I p. Ch. n. exeunte, ubicunque homines Graece nesciebaut, — nam ubicunque fieri poterat, utebantur LXX interpp. versione, quam canonicam laudaverant Apostoli — Pesch. in ecclesiam reciperetur. Nec vero celeriter et raptim Simplex, cuius aditus propter causas modo allatas solis Judaeis patebat, inter Christianos fines suos prolatavit, nec est quod concedamus, Pesch. iam tum ad auctoritatem canonicam

1) argumentationem huius rei afferemus infra.

2) Cf. I Cor. XV. et testimonium Eusebii apud Ruinart. acta martyrum pag. 373.

3) Quas ne Ephraemum quidem intellexisse iam supra commemoravimus.

4) Idem faciebant initio Judaeo-Christiani, ut ex Ebionitarum Evangelio, quod sermone Syriaco, sed litteris Hebraicis expressum fuit, cf. infra.

pervenisse, cuius rei nulla exstant testimonia. Neque enim solum litterae Hebraicae, sermoque Chaldaismis mixtus, sed etiam versionis intellegentia fugit Christianos. Atque quum II saeculi initio N. T. Syriace transscribetur, eius interpres, eba quamquam ubique fere κατὰ πόδα exemplum Graecum secutus est, interdum tamen locos Veteris T. in Novo laudatos e Pesch. Nostra affert, idque raro [1]). Si versio nostra tum iam pervulgata fuit apud Christianos, interpres N. T. locos de V. T. laudatos ubique ad Simplicem Nostram conformare debuit.

Quod momentum quantum Syrorum animos offenderit, inde licet colligi, quod Bar-Hebraeus hanc ob causam Simplici Nostrae parum tribuit auctoritatis: ܕܡܦܩܬܐ ܦܫܝܛܬܐ ܕܒܐܝܕܝ ܣܘܪܝܝܐ ܦܫܝܛܐ ܘܡܦܩܬܐ ܕܒܐܝܕܝ ܝܘܢܝܐ .... ܚܬܝܬܐ ܗܢܐ ܕܝܢ ܒܡܦܩܬܐ ܬܘܪܬܐ ܕܐܠܝܢ ܡܢܝ ܘܡܦܫܩܝܢ ܘܦܫܩܐ ܒܬܪܬܝܢ ܚܕܐ ܠܡܦܩܬܐ. „Simplicem versionem, quae est in manibus Syrorum, rudem esse, LXX vero interpp., quae est in manibus Graecorum, . . . exactam, respondent

1) In Epistola ad Hebraos locos nonnullos cum Simplice Nostra concordare iam Michaelis (Einleitung in die göttlichen Schriften des Neuen Bundes 1. Theil 363 seqq.) cognovit, unde coniecit, hanc Epistolam, non eiusdem interpretis esse atque veteros N. T. Syriaci libros, immo posteriore tempore in sermonem Syriacum translatam esse, quod non versimile putabat, Vetus Testamentum prius a Christianis Syris transcriptum esse quam Novum. Id vero colligi non potest, quoniam omnium librorum N. T. plures loci cum Simplice Nostra concordant. (vid. exempla in appendice. I.) Rectissime iam Hug, etsi parum tum erat cognitum de Pesch. natura indoleque, originem Judaicam coniecit; Dicit enim: »das, was man von den Christen vermuthen sollte, dass sie das Alte Test. nicht vor dem Neuen übersetzt haben werden, mag immerhin wahr sein; aber wie wäre es wenn es die Juden gethan hätten? Sie konnten ja lange her ein syrisches Targum haben . . . . . . die vor uns liegende Thatsache verlangt es so, und dann erklären sich hieraus noch zwei andere Erscheinungen etc. (l. l. pag. 130).

enim testimonia, quae dominus noster eiusque sancti Apostoli in Novo Test. produxere, LXX interpretibus" [1]).

Eodem fere tempore, quo LXX interpp. versio propter permulta cum exemplo Hebraico discrimina permultasque adulterationes apud Judaeos omnem fere fidem perdidit, etiam Peschitth. condicio plane est mutata. Nam etsi Hierosolymis deletis, Judaeorum libertate sepulta, momentum nervusque rerum etiam usque ad initium saec. III p. Ch. erat in Palaestina, et in Galilaea scholae Tiberienses et Sepphorenses florebant prae ceteris, tamen laus Judaeorum Syriacorum litteraria in dies magis est amplificata. Eo enim multi Judaei se suaque collocaverant, ut effugerent seditiones contentionesque demesticas; inde rursus in Mesopotamiam et Babyloniam se converterunt. Atque quum Palaestinensium Judaeorum ingenia tarda fierent in litteris tractandis, iam saec. IV corum academiarum laus est obscurata splendore Nisibensis, Suranae, Pumbadithanae scholarum. Quum igitur Halachicae quoque interpretationes his in regionibus vehementer crescerent, cognitio Librorum Sacrorum apud vulgum latius pateret, et scholae multae instituerentur, Versio Nostra, qua erat simplicitate et sobrietate, non iam animis satisfecit et, ut acciderat antea in Palaestina, propter Hebraici sermonis notitiam grandem fortasse supervacanea evasit. (cf. supra pag 25). Praeterea saec. Ch. II R. Akibae interpretandi ratio summa florebat auctoritate. Ille enim singula vocabula vel syllabas Pentateuchi ad Halachicam interpretationem maximi ponderis esse voluit. Idcirco versiones omnes V. T. inutiles factae sunt et necessitas coegit, eas aut prorsus mutari secundum Akibae disciplinam aut in carum loco poni novas. Ita exstitit Graeca Aquilae versio auxie litteram exempli Hebraici secuta; nihilo secius huius rationis nullum deprehendimus vestigium in Simplice. Causam vero huis rei praebet Targum Onkelosianum. Palaestina quidem usque ad initum saec. III Christianorum propugnaculum Halachae fuit, quae paullatim modo exteras quoque regiones intravit. At ex quo Rab († 243) in Babyloniam commigraverat, in eamque terram

1) Apud Assem. B. O. II, 281.

studia Halachica traduxerat, eius praecepta, quae in scholis perhibebantur, etiam ex ore interpretum in synagogis audirentur erat necesse. Atque quod nova interpretandi ratio nimiam habuit vim, quam ut satis fuisset Versionem Nostram aliquatenus tantum mutare, Simplice quasi fundamento iacta, nova Pentateuchi versio, quae nomime Onkelosi designatur, est absoluta [1]).

Huius versionis sermo est Babylonius, quem in Talmude quoque Babylonio invenimus. Inde ab hac aetate ex Babyloniorum nutu atque arbitrio versiones Bibliorum pendebant. Ut vero *Peutateuchus* Onkelosianus, *Halachicae* opinionis novae insigne exemplar, Simplicem Nostram abrogavit, ita in locum versionis Syriacae *Prophetarum* et *Hagiographorum* successerunt Targumim paraphrastica, quae erant fidelis novae *Hagadae* imago. Atque haec aut sequuntur Simplicem (quemadmodum in Ezechiele et Proverbiis) [2]) aut Hierosolymitana Targumim antiquissima, eaque supplent [3]); nonnulla vero et Hagiographorum Targumim tam sero sunt nata tantasque tulerunt mutationes et emendationes, ut fontem distincte elicere non possimus [4]). Nam quod in Simplice usu venisse vidimus, id etiam deprehendimus in Targumis: *Quamdiu lingua Aramaea vigebat, versiones hoc idiomate expressae nun-*

---

1) Frankel (Zu dem Targum der Propheten pag. 9 seqq.) demonstravit, Targum Onkelos. initio saec. III a discipulo quodam illius Rab esse compositum, neque tamen ita ut ipse illud conscriberet, sed vetera, quae exstarent, Targumim colligeret.

2) Noeldeke dicit: »Ferner ist die Peschita, soweit wir wissen nie von Juden gebraucht — der Verfasser des Targums zu den Sprüchen unterwarf sie erst einer Umarbeitung im jüdischen Sinn — während etc. (pag. 262). Peschittho Targumo Proverbb. quasi fundamento subesse apparet; at hoc ipsum docet, Simplicem a Christianis hominibus *non* posse conscriptam esse. Num re vera putat Noeldeke Judaeos, qui iam ab antiquissimo tempore habebant Targumim, qui fere soli linguam Hebraicam noverant, (quod ipse concedit) ad versionem confugisse a Christianis factam?

3) Cf. Frankel, l. l. pag. 11.

4) Cf. Zunz, Gottesdienstliche Vorträge pag. 64.

quam omnino sunt absolutae ac stabilitae; immo vero variis interpretandi rationibus variisque temporibus semper accommodabantur atque concinnabantur. Targumim vero *paraphrastica* in lucem prodierunt quum populus maxima de parte simplicem Bibliorum habebat intellegentiam et מתורגמנים Scripturam Sacram non ad *verbum* reddebant sed *interpretabantur*, quod *bis* fiebat, *diversis* aetatibus, *simili* condicione: primum in Palaestina paullo ante templum II dirutum, deinde in Babylonia inde a saec. III p. Ch. n. Ubi vero homines parum callebant sermonem Hebraicum, versio ad litteram facta est adhibita; id quoque, quantum sciamus, *bis* usu venit *eadem* aetate: in Aegypto orta est LXX interpp. versio, Peschittho in Syria et ceteris regionibus orientalibus.

In hac parte disputationis conati sumus persequi, quod fatum Pesch. apud Judaeos subierit, idque illustravimus solum historiae vestigia prementes; alia argumenta infra afferemus. Nunc qualis fortuna Simplicis apud Christianos fuerit videamus. Interpretum quidem synagogicorum munus in ecclesiam Christianorum receptum iam supra commemoravimus, quo officio initio nemo favile nisi Judaeo-Christianus functus est. Quamdiu vero ille mos duraverit, propter penuriam fontium indicari nequit. Atque Wichelhaus, verba Takrîtîi supra (pag. 15) laudata secutus, V. T. usque ad Ephraemum Hebraice esse recitatum dicit, interpretes igitur in Syrorum ecclesia V. T. legisse et explicasse usque ad Ephraemum existimare debet. At eius argumentatio omni caret ratione; nam quum Judaei Orientales ipsi parum scirent sermonem sacrum, a quibus hominibus et pro quibus Biblia apud Christianos Hebraica lingua sunt recitata?[1]) Initio quidem, quum

1) Mirifice sane egit vehementerque erravit Wichelhaus, quum dicit (l. l. p. 74): ». . . . . exortam tamen esse in primo Christianorum coetu desiderium multorum flagrantissimum, ut Mosis et Prophetarum libros non tam ex Alexandrinorum manca peritia et Targumistarum haud raro putrida et insulsa expositione, sed

3*

Judaeo-Christiani a Judaeis non multum different, forsitan res usu venit, neque vero diu duravit. Quod autem Takrîtî dicit ab Ephraemo „Hebraicum“ in ecclesiis abrogatum esse, hoc confirmat ea, quae modo exposuimus. Nam „Hebraicum“ (بالعبرية) non lingua Hebraea intellegenda est, sed Syriaca litteris Hebraicis (quadratis) exarata. Vocabulum „Hebraici“ hanc vim habere, haec docent exempla: Eusebius evangelium, quo Ebionitae utebantur et Nazaraei „Hebraeum“ sive „secundum Hebraeos“ nominat[1]). Quod quum Matthaeo tribueretur, vulgo putabant — hoc etiam apud Syros memoratur — Matthaeum Hebraico sermone scripsisse;[2]) fraudem demum Hieronymus perspexit, qui exemplar evangelii illius se vidisse gloriatur; idque „sermone quidem Chaldaico et Syro sed

---

ipsa textus originalis veritate perciperent«. Sed ubi terrarum levissimum »desiderii illius flagrantissimi« vestigium extat? Plerique quidem patres ecclesiastici — excepto Hieronymo, qui a Judaeis sermonis Hebraici cognitionem acceperat — in commentariis suis, quod linguae sacrae erant imperiti, versionibus in ecclesiae usum receptis (maxime LXX interpp.) se applicaverunt. — Atque Wichelhaus ad opinionem suam probandam Aquilam nominavit qui »Christianus primum fuisse dicitur«, et »versionis sextae auctorem«, qui »si genere fuerit Judaeus, confessione tamen erat Christianus«. Virum autem fugit doctissimum, Aquilam ex quo ad Judaeorum religionem est conversus, Hebraicum didicisse sermonem, cuius notitiam — quod obiter addo — non magni fecerim (cf. Frankel: Zu dem Targum der Propheten pag. 5); auctor quidem »sextae« etiam ortu fuit Judaeus, nec est mira in eo linguae sacrae cognitio. Wichelhaus quidem solus hanc sententiam statuit; omnes viri docti cum eo discrepant. (Cf. Dathe l. l. XXIV seq. Hug 314, Noeldeke 262 alios).

1) *Ἤδη δέ ἐν τούτοις τινές καὶ τὸν καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον κατέλεξαν ᾧ μάλιστα Ἑβραίων οἱ Χριστὸν παραδεξάμενοι χαίρουσι.* Euseb. Hist. Eccl. III, 25, cf. ibid, 27 et IV, 22.

2) *Περὶ δὲ τοῦ Ματθαίου ταῦτα εἴρηται (Παπία): Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο, κτλ.* Euseb. Hist. eccl. III, 39; cf. Hieronymi opp. III, 84 a, 98 c.

litteris Hebraicis" exaratum expresse dicit[1]) Eodem sensu verba ܘܡܦܩܐ ܡܢ ܝܘܢܝܐ ܠܥܒܪܝܐ apud Jacobum Edessenum (loco supra pag. 6 laudato) usurpata sunt. ܥܒܪܝܐ quidem ad textum Hebraicum referri non potest, quod ibi pro *διάψαλμα* non, ut ille dicit: „ܣܒܠܐ ܘܕܒ̈" sed סלה legitur, nec pluralis numerus (ܝܘܢ̈ܝܐ ܥܒܪ̈ܝܐ) ad textum Hebraicum potest spectare. Immo סלה in versionibus Chaldaicis redditur לעלם sive לעלמין, quod Peschittho ipsa passim retinuit (cf. infra 48 seq.) Eandem vim vox ܥܒܪܝܐ apud Ephraemum habet[2]). Nec est ignotum in Novo Testamento linguam Aramaeam appellari Hebraeam[3]). Item Josephus „patrium sermonem" i. e. Aramaeum, nominat Hebraeum[4]).

Jam redeamus ad Versionem Nostram; quae, qua erat forma et indole, ad solos Judaeos spectavit nec ab ullo homine potuit legi nisi a Judaeo-Christiano. Alium in statum redacta est res, quum Syri Christiani, scholis nobilissimis conditis, V. Testamenti notitiam omnibus patefacerent. Ephraemo vivo, qui vir commentariis suis non mediocriter Bibliorum promovit intellegentiam, prima schola Edessae est instituta,[5]) in eaque quum V. T. studiose est pertractatum, tum maxime

---

1) opp. V, 42g, 208a, 266c, IX, 30d; X 276g et annotationem ibid.

2) Cf. infra pag. 39 seq.

3) Ἑβραΐδι διαλέκτῳ Act. 21, 40; 22, 2; 26, 14; Ἑβραϊστί. Joh. 5, 2; 19, 13, 17, 20; 20, 16; Apoc. 9, 11; 16, 16.

4) Joseph Ant. II, 1, 1; III, 7, 1; 10, 6 maximeque III, 7, 2 coll. cum Onkel. Exod. 28, 4, apparet, omnibus his locis non de *Hebraea* sed de *Aramaea* lingua sermonem esse. Cf. Heinr. Pfannkuche: Ueber die Paläst. Landessprache etc. in Eichhornii Allg. Bibl. der Bibl. Litt. pars 8. pag. 365.

5) Cf. Bolland, apud Assem. B. O. III, pars II pag. CMXXIV. ويعقوب نصب مار افريم معلما بنصيبين سريانيا ولما صارت الفرس مضى الى الرها وسكن كل ايام حيوته وجمع اسكولا عظيما وبقى بعده Cf. etiam Assem. B. O. I, 203, 351 seq., II, 402 etc.

Psalmi et Pentateuchus. Quocum concinit quod Ephraemus, quum *versionem Hebraicam*, i. e. litteris quadratis expressam, removisset, Syriacas dicitur introduxisse.

Aliae quoque rationes sententiam nostram defendunt multasque tollunt difficultates; nam fac fuisse, ut vulgo credunt viri docti, Simplicem paullo post natam Christianam religionem vulgatam apud Christianos, tamen permirum videtur esse, quod patres ecclesiastici, quorum multi sciebant Syriace aut quandam cum Syris habebant consuetudinem, perraro et singulatim Pesch. faciunt mentionem [1]). Porro quanam ratione est expediendum, quod nonnulli scriptores de versione Syriaca locuti, tantum singulos eius libros noverunt, velut Hieronymus Psalmos, Genesin Augustinus? Causa autem in eo consistit, quod in primis Syriae scholis Biblia, quatenus usus ecclesiasticus postulabat, pertractari solebant: In ecclesiis enim locum primarium obtinebant Psalmi, eosque excipiebant historicae [2]) Pentateuchi partes — nam, quae leges continent, non multum valebant ad Christianorum vitae usum — quem morem etiam postea Jacobitae et Nestoriani [3]) retinebant. Ita quidem Psalmi, quaedamque Scripturae Sacrae partes passim divulgatae, ad patres quoque ecclesiasticos pervenerunt. Idcirco non errorem committere nobis videmur, quum Takrîtîi verborum ratione habita, Simplicem — quae antea

---

1) Ideo recte ratiocinaris *τὸν Σύρον*, quem vocant, nihil aliud esse nisi brevem excerptorum collectionen; neque vero potest dici *τοῦ Σύρου* nomine Hieronymi significari versionem, quoniam *ὁ Σύρος* non ad omnes S. S. libros laudatur, Hieronymi versio ex fragmentis tum constitisse est putanda, quae res vehementer claudicat.

2) Cf. indicem scholarum Jacobitarum apud Barhebraeum (Pfeifer, Orient. Bibliothek pag. 549). Mire hac cum re concinit quod in Hexapl. Origenis a Montefalconio editis *ὁ Σύρος* ad Genesin et priorem historicamque Exodi partem commemoratur, at in reliquis Pentat. libris omnino non invenitur.

3) Hoc institutum iam antiquitus fuisse, ex novo, quod Sabariesus patriarcha institut, elucet. (Apud Ebediesum in: Pfeifer l. l. pag. 426.

litteris quadratis erat exarata — circa Ephraemi aetatem Syriace esse transscriptam contendimus. Sed quum Simplex apud Judaeos, ut erant tempora saec. II et III, magnopere mutaretur et novaretur, consentaneum erat, ut recens Halacha et Hagada fere nullam vim exerceret in Pesch. Christianorum, quapropter mirum esse non potest, quod iam Ephraemi aetate editiones Peschitthonianae Judaeorum a Christianis non leviter differebant; — quod etiam e dogmatis Christianis in Simplice multa sunt mutata, id quidem hoc loco urgere nolo. — Inde vero explicatur res alia multifariam in disceptationem vocata, nec adhuc satis explorata: Ephraemus enim interdum sub ܥܒܪܝܐ nomine lectiones a Pesch. discedentes exhibet. Nonnulli quidem viri docti ܥܒܪܝܐ vocabulam ad exemplum Hebraicum spectare rati, Ephraemo sermonis Hebraici cognitionem assignaverunt. Nostra demum aetate Credner contrarium evicit[1]) neque vero aliqua ratione ܥܒܪܝܐ vim illustravit[2]). Ac primo obtutu vides, fere nusquam ܥܒܪܝܐ congruere cum contextu Hebraico. Mea quidem sententia ܥܒܪܝܐ nihil aliud significat nisi varias lectiones Pesch. Judaicae, quae litteris Hebraicis exprimebatur[3]); ܥܒܪܝܐ vero nomen similiter

1) l. l. pag. 15—47.

2) Modo Credner de notis Ephraemi commentariorum margini postea adscriptis (pag. 46), modo de sententiis Ephraemi a Judaeis derivatis (pag. 45), modo de contextu quodam Graeco sive de Origenis Hexapl. cogitat (pag. 44).

3) ܥܒܪܝܐ enim cum interpretandi ratione, qua tum Judaei utebantur, et quam plerumque in Targumis et in Midrasch. invenimus, concordare, ex his exemplis cognosci potest: Genes. 24, 63 לשוח בשדה Pesch.: ܠܡܬܡܠܟܘ ܒܚܩܠܐ, Ephr. (opp. I, 173): ܢܦܩ ܗܘܐ ܗܘ ܕܠܡܬܡܠܟܘ ܠܡܨܠܝܘ ܐܡܠܟ ܥܒܪܝܐ, item Onkelos: לצלאה בחקלא et Psdj. לצלאה. Cf. Gen. Rabb. c. 60: לשוח בשדה אין שיחה אלא תפלה; Genes. 36, 24: אשר מצא את הַיֵּמִם, Pesch.: ܕܐܫܟܚ ܠܗ ܡܝܐ, Ephr. (I, 184) ܥܒܪܝܐ ܐܡܪ ܐܫܟܚ ܓܢܒܪܐ ܒܡܕܒܪܐ, Onk: דאשכח גבריא במדברא; — Jud. 5, 29

usurpatum, atque exstat apud Takrîtî, Jacobum Edessenum, evangelium Ebionitarum cett. Inde apparet, Simplicem non solum a Judaeis mutatam, ut novis religionibus satisfaceret, verum etiam a Christianis, similem viam ingressis, expertam esse emendationes. Hoc est tam manifestum et consentaneum, ut argumentis singularibus non allatis eam amplectaris. Accidere id solebat in libris perantiquis, qui diu multumque tractabantur maximique erant ponderis in vita. Ac pro certo fere id statuendum est in scriptis varie explicatis et ad religiones opinionesque confirmandas aut impugnandas adhibitis; id, quod in Bibliis ipsis — Pentateuchum Samaritanum nominaverim — in LXX interpp. versione , (quamquam auxie

---

חכמות שרותיה, Pesch. ܡܚܟܡܬ ܕܒܠܟܡܬܗ, Ephr. (I, 316): ܟܬܒܐ ܐܡܪ ܡܚܟܡܬܐ ܕܪ̈ܘܪܒܢܬܐ ..... Cf. Tosepht. Sotah. c. 9 הלא (Jud. 5, 30) ימצאו יחלקו שלל אמרה אשתו וכלותיו; — I Samuel 3, 11: תצלינה שתי אזניו; Pesch: ܢܨܠܢ ܬܪܬܝܗܘܢ ܐܕܢܘܗܝ, Ephr. (I, 340): ܟܠ ܕܠܡܠܐ ܐܡܪ ܕܢܫܡܥ ܠܐ ܕܐܦ ܟܬܒܐ ܡܘܕܐ; item Targum: יצלן תרתיהון אודנוהי — I Samuel 24, 2: להסך את רגליו, Pesch: ܘܥܠ ܠܡܦܢܐ Ephr. (I, 380) ܟܬܒܐ ܕܢܟܦܐ ܪ̈ܟܫܘܗܝ, Jonath: למעבד צורכיה, (*τὰς φυσικὰς ἐκκρίσεις ποιήσασθαι*, Joseph.) cui respondent verba in Mischnah: כל המיסך רגליו טעון טבילה (Joma 28, a.) — II Reg. 3, 15 קחו לי מנגן, Pesch: ܐܝܬܘ ܠܝ ܢܩܘܫܐ; Ephr. (opp. I, 524): ܢܩܘܫܐ ܐܡܪ ܕܐܝܬܘܗܝ ܐܡܪܐ ܕ̈ܡܙܡܠܐ ܐܘ ܟܢܪܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܟܬܒܐ; Targum: גברא דידע לנגנא בכנורא; Amos 6, 1: נקבי ראשית הגוים . . ., Pesch. (in nostris editionibus exhibet: ܦܪܫܐ ܠܪܫܐ ܕܥܡܡܐ, secundum Ephraemi textum): ܦܪܫܘ ܠܪܫܐ ܕܥܡܡܐ, Ephr.: ܟܬܒܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܦܪܫܘ ܢܦܫܗܘܢ ܠܪܫܐ ܕܥܡܡܐ [ܘܠܐ ܠܪܫܐ ܕܥܡܡܗܘܢ.], quae verba respondent Targumo: מקימין [illegible] בניהון כשום בני עממיא. Hic locus item laudatur a Justino martyre (Dialog. cum Triphone c. 22. pag. 121. opp. Hagae Comitum 1742): *οἱ ὠνομασμένοι ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς ἐθνῶν κτλ;* et alia exempla. — Probant hanc nostram sententiam etiam verba Abul-Pharagii supra (pag. 7) laudata: بسيطة تطابق نسخة اليهود i. e. cum Targumis Judaeorum.

est cautum, ne quae mutationes fierent), maxime autem in versionibus Chaldaicis et in Pesch. deprehendimus. Nec minus sententia nostra eo confirmatur, quod Ephraemus saepe a Simplice, quae hodie exstat, discrepat, quod Jacobus Edessenus IX annos dicitur operam consumpsisse in Pesch. emendanda, quod Bar-Hebraeus multos errores in Simplicem irrepsisse tradit eamque „fundamentum quassatum“ (ܪܡܟܐ ܡܬܐܣܬܐ) nominat [1]).

Memoratu vero imprimis sunt dignae lectiones consulto ad theologiam hermeneuticam Christianam stabiliendam corruptae: Jesaia 7, 94, הנה העלמה הרה Pesch. ܗܐ ܒܬܘܠܬܐ ܒܛܢܐ, ubi ܥܠܝܡܬܐ — sie Pesch. semper reddit עלמה — in ܒܬܘܠܬܐ, et Jesai. 9, 5 אלגבור, Pesch. ܐܠܗܐ ܓܢܒܪܐ, ubi ܡܠܐܟܐ = LXX, sive ܡܢ ܐܠܗܐ = Targ. in ܐܠܗܐ sunt mutata. Ita uno verbo immutato dogmati Christiano facile satisfecerunt. Quae testimonia certe Noeldeke praetermisit, quum dicit: „Manche Stellen zeigen in ihr (der Pesch.) eine entschiedene christliche Auffassung . . . . in einer Weise, *die nicht durch nachträgliche Interpolation erklärt werden kann*; namentlich finden sich solche Stellen im syrischen Psalter“. Jam invat Psalmorum locos accurate perspicere: Ps. LV, 15: אשר יחדיו נמתיק סוד, Pesch: ܕܐܟܚܕܐ ܠܚܡܢ ܡܪܘܬܐ spectare aiunt ad coenam domini. Hoc enuntiatum utrum etiam ad epulas sacrificales possit referri [2]) an interpres pro סוד legerit צֵיד [3]) in medio equidem relinquo. Hic ad Christianam interpretationem profligandam satis sit commemorasse, in LXX interpp. versione eodem fere modo verti: *ὅς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλύκανας ἐδέσματα.* Ps.

---

1) Bar-Hebraei tempore varias lectiones exstitisse Pesch. ex hoc loco potest cognosci, quem affert Bar-Hebr. ad Ps. 18, 21 (ed. Rhode) ܡܡܪܢ ܡܢ ܚܣܝܐ ܠܡܬܐ ܒܡܦܩܬܐ . . . ܕܐܡܪ ܕܦܠܐ ܡܠܠܢ ܒܠܫܢ. in ea, quam Bar-Hebr. ante oculos habebat, Simplicis editione, ut in nostra exstabat: ܕܐܡܪ ܡܡܠܠܢ.

2) Ita vult Eichhorn l. l. I, 482.

3) Capellus Critica Sacra pag. 244.

16, 10 et 22, 17 (כארו ידי ורגלי Pesch. ܒܙܥܘ ܐܝܕܝ ܘܪܓܠܝ LXX; *ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας*) 110, 1 (נאום ה׳ לאדני, Pesch.: ܐܡܪ ܡܪܝܐ ܠܡܪܝ, LXX: *εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου*) ad litteram sunt versa, ut etiam exstat in LXX versione; 110, 3: משחר לך טל ילדתך, Pesch, ܡܢ ܡܕܢܚܐ ܠܟ ܛܠܝܐ ܘܝܠܕܬܟ, Nostro quidem loco dicunt agi de aeternitate filii ex virgine editi. Eodem vero iure quamlibet sententiam verbis potes subiicere; nam qualis contextus ratio perhibetur, non solum, quem isti volunt, sensum non exhibet, verum prorsus nullum [1]). Inscriptiones quidem Psalmorum a Christiano sunt compositae, ex quibus ipsis Simplicem multum esse mutatam propter dogmata Christiana infra demonstrabimus.

Quibus rebus compositis denique videamus num etiam de versionis nostrae natura et indole usus Judaicus eluceat; qua in causa Psalmi non exiguum suppeditabunt nobis auxilium. Quae ad reliquos V. T. libros pertinent hic affero. Atque praelectionum synagogicarum causa singulis V. T., maximeque Pentateuchi capitibus tituli de argumento aut de primis verbis sunt derivati. Etiam in Simplicis Pentateucho tales inscriptiones nobis occurrunt, quae saepissime cum iis congruunt, quibus Rabbini in libris Talmudicis utebantur. Nonnulla exempla collegit Perles,

---

1) Sine dubio hic corruptio loci parum intellecti exstat. Vocem Hebr. טל Pesch. semper reddit ܛܠܐ sive ܛܠ; Quod vocabulum ambigue potest accipi: aut ܛܠ »ros«, aut ܛܠ (idem quod ܛܠܝܐ cf. Hosea 11, 1) »puer«. Lector Hebr. linguae ignarus hoc loco sine dubio ܛܠ vocabulum pro (ܛܠܐ) »puero« sumpsit idque cum ܘܝܠܕܬܟ verbo coniunxit, quod »ܛܠ« »rorem« vertere ei non venit in mentem. — ܡܢ ܡܕܢܚܐ Dathe »ab oriente« vertit; num ܡܕܢܚܐ etiam in Syr. sermone »Orientem« significet ut in Hebraeo, nescio. Genesis II, 8 מִקֶּדֶם vertit Pesch. ܡܢ ܡܕܢܚܐ (cf. tamen Onkel.) Quodsi Dathe recte vertat, locus noster respondeat vers. LXX: (*πρὸ ἑωσφόρου*) et Hagadae (Genes. Rab. 39). — יְלִדְתִּךָ et LXX vertunt *ἐγέννησά σε*. Respondet igitur versio Simplicis plane textui Hebr.; Pro ܛܠܝܐ scribendum est ܛܠ sive ܛܠܐ.

quibus adiicimus haec: Exod. 20, 1 ܥܣܪܐ ܦܬܓܡܝܢ = עשרת הדברות (Berach. 11 b.); Levit. 17, 1: ܢܡܘܣܐ ܕܩܘܪܒܢܐ[1], = פרשת הקרבנות (Megill. 30 b.). Levit. 21, 1: ܢܡܘܣܐ ܕܟܗܢܐ, = פרשת כהנים (Moed Katon 20 b.). Levit. 23, 1: ܕܥܠ ܥܐܕܐ = פרשת מועדות (Megill. 30 b.). Levit. 26, 3: ܦܘܪܥܢܘܬܐ ܕܥܒܕܝ ܛܒܬܐ = הפורענות (Megill. 31 b.). Num. 6, 22: ܕܥܠ ܒܘܪܟܬܐ = ברכת כהנים (Megill. 25 a. et Tamid. 32 b.). Num. 8, 1: ܕܥܠ ܡܢܪܬܐ = פרשת נרות (Gittin 60 b.). Num. 8, 5: ܚܘܣܝܬܐ ܕܠܘܝܐ = פרשת לויים (Gittin 60 a.). Deut. 27, 11: ܠܘܛܬܐ et ibid. 28, 1; ܒܘܪܟܬܐ, in Talmude (Megill. 31 a): ברכות וקללות; Interdum inscriptiones indicant, quibus diebus singula capita in synagogis praelegebantur: Levit. 16, 1: ܢܡܘܣܐ ܕܚܘܣܝܐ ܕܢܦܫܬܗܘܢ ܕܟܢܘܫܬܐ ܗܘܐ ܚܕܐ ܙܒܢ ܒܫܢܬܐ ܒܡܫܪܝܬܐ ܒܬܫܪܝ ܩܕܡ ܒܝܘܡܐ. Cf. Megill. 30 b: (Lev. 16, 2) ביום הכפורים (קורין) אחרי מות. Levit. 23, 23: ܕܥܠ ܕܘܟܪܢܐ ܕܫܝܦܘܪܬܐ (זכרון הרועה). Cf. Meg. 30 b. (Lev. 23, 24) בראש השנה (קורין) בחדש השביעי באחד; — Deut. 16, 9; ܕܥܠ ܦܢܛܩܘܣܛܐ; cf. Meg. ibid. בעצרת (i. e. חג שבועות) קורין שבעה שבעות (Deut. ibid.), alia. Hae Simplicis inscriptiones, quae nihil aliud spectare poterant, nisi usum synagogicum, satis demonstrant Pesch. in Judaeorum fuisse usu[2]).

Deinde capitum versuumque distributio alia est in Sim-

---

1) Inscriptio nostra hoc exhibet additamentum: ܕܠܐ ܢܕܒܚܘܢ ܠܒܪ ܡܢ ܡܫܟܢ ܙܒܢܐ ܡܛܠ ܕܠܫܐܕܐ ܡܕܒܚܝܢ ܗܘܘ ܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ ܦܩܘܕ ܠܟܠܗܘܢ ܠܘܬ ܕܝܢܐ ܕܐܝܟ ܕܐܬܐ ܕܢܡܘܣܬܐ. Explicationem huius inscriptionis invenis Lev. Rabb. cap. 22 (לפי שהיו ישראל להוטים אחר עבודה זרה במצרים והיו מקריבין קרבניהם לשעירים . . . ואין שעירים אלא שדים . . . . ופורעניות באות עליהן אמר הקב׳ה יהיו מקריבין לפני . . . . באהל מועד.)

2) Harum inscriptionum duae perhibent additamenta, quorum auctor sine dubio Judaeus est putandus, Lev. 18, 1 et 20, 1: ܡܠܟܝܢ ܒܒܠܝܐ. et ܒܒܠܝܐ. Cf. Perles. pag. 23.

plice, alia in nostris editionibus Hebraicis. Capita quidem סדרים Bibliorum Rabbinorum fere respondent; versuum numerus (Psalmorum capitibus semper praepositus) omnibus fere libris extr. est adscriptus; plerumque unus e versibus nostris in II vel III partes dividitur. Rapoport[1]) quidem mira usus sagacitate doctrinaque demonstravit distributionem capitum versuumque in versione nostra praelectionum synagogicarum causa esse factam et Simplicem ipsam aeque ac Chaldaicam versionem et LXX interpp. in synagogarum fuisse usu. (Cf. Perles pag. 24).

Quae quum ita se habeant levis fit inanisque Noeldekii opinio: „die Peschita ist, so weit wir wissen, nie von Juden gebraucht“.

Jam restat ut de Simplice Paralipomenon pauca proferamus, qui liber nihil aliud est nisi „Targum Judaicum“, quod Noeldeke ipse concedit. At quonam pacto est expediendum, Judaeos Syros Targum ad Paralipomena habuisse, ad reliquas V. T. partes non habuisse? Noeldeke quidem annotavit haec (Gött. gel. Anz. 1868 pag 1826): Ich habe inzwischen gefunden, dass die nationalste der syrischen Kirchen, die der Nestorianer, die Chronik (wie auch Esra mit Nehemia und Ester) gar nicht in ihrem Kanon hat, und dass sich ihnen hierin sogar zum Theil die Monophysiten anschliessen. Sollte diese Thatsache mit jener in irgend einem Zusammenhange stehen?“ Ad quod respondere mihi liceat: Propterea quod Paralipomena non fuerunt in Christianorum usu, facilius hic liber typum Judaicum servavit quam reliqui V. T. libri, qui a Christianis multifariam sunt mutati; hoc ipsum quae supra exposuimus luculenter probat. — Suppeditat igitur nobis in Simplice Paralipomenon Targum antiquissimum, integrum, incorruptum, quod diligenter excussum notitiam Hagadae vesustissimae non mediocriter augeret. —

Ac Peschittho — ut colligamus quae nostra disputatione videmur nobis demonstrasse — ad usum Judaeorum Orien-

---

1) Cf. הליכות קדם a G. J. Polak (Amstel. 1846 pag. 15 seqq.) et, Frankel Zeitschrift für die religiösen Interessen des Judenthums I, 355—359).

talium, aeque ac LXX interpp. versio apud Aegyptios, est conscripta, si non eodem tempore tamen non multo post. Nec leve discrimen intercedit inter has versiones: Quum LXX interpp. versio brevi post ortum canonica auctoritate floreret, et exemplar ipsum abrogaret, Pesch. in ore מתורגמנים vigebat, ferebaturque ut translatio contextu sacro multo inferior. Quae quum ita essent, Simplex sermone et argumento temporibus se accomodavit. Atque Pesch. Pentateuchus in synagogarum usum est usurpatus usque ad id temporis, quo Targum Onkelosianum (saec. III) exstitit. Versionem quidem Nostram a Syris Christianis receptam initio quidem soli ii qui genere erant Judaei tractabant, Ephraemi demum aetate (aut paullo ante) sedes amplissimas Simplex occupavit multasque experta est Christianorum mutationes, quae nunc quoque in editionibus nostris exstant. Discrimina gravia, quae inter singulos Versionis libros intercedunt, a variis temporibus opinionibusque auctorum pendent; de certo igitur momento Simplicis absolutae non magis sermo esse potest, quam de LXX interpp. versione; Nihilosecius non admodum a veritate aberrare nobis videmur si primordia Pesch. (Pentateuch. et Psalmi) saec. II exeunte sive I ineunte ante Ch. n. fuisse volumus, finem operi esse impositum I saec. p. Ch. n.

Atque quum nostram de Simplicis aetate et auctore amplecteris sententam, cui, quantum scimus, nihil repugnat, omnes quae alioquin relinquuntur difficultates submoventur. A Christiano vero sive potius a conpluribus Christianis Simplicem confectam nullo modo probare possumus; nam fingendus esset numerus Christianorum *aequalium* Hebraicae linguae aeque peritorum; qui iidem *variam* vertendi rationem sequebantur. At cur illi non versionem LXX interpp. ab Apostolis laudatam ducem elegerunt? cur porro Hebraismos et Chaldaismos admiserunt, Halachicas explicationes aliaque quae a Judaeis solis poterant intellegi, tam diligenter reddiderunt? Num probabile est, a Christianis primum V. T. esse conversum, deinde Novum, locosque V. T. in Syriaco Novo laudatos parum esse adaequatos Simplici V. T., si ab ipsis erat conscripta? Tum qui factum est, ut Judaei versionem Syriacam Paralipomenon et Proverbiorum haberent, reliquo-

rum V. T. librorum non haberent? Quomodo ii patres ecclesiastici, qui non ignorabant res Syriacas, Pesch. a Christianis factam, canonicaque auctoritate florentem, nequaquam aut non multum noverunt, eamque Ephraemus ipse tam saepe non intellegebat? Nisi vero omnes has difficultates aliasque tollere volumus coniecturis futilibus levibusque, deserenda est opinio Christianae vel Judaeo-Christianae Simplicis originis, quae quidem, ut supra vidimus, nullis argumentis potest firmari. Sed haec hactenus. Si non id ageremus, ut ante oculos nos habere Targum antiquissimum probaremus, (quod gravissimum nobis videtur) de Simplicis auctore Judaeus an Christianus fuerit, tam fuse non disputavissemus.

II.

Psalmi, qui in Pesch. inscribuntur: ܟܬܒܐ ܕܡܙܡܘܪܐ ܕܕܘܝܕ ܡܠܟܐ ܘܢܒܝܐ, ut in editionibus Hebraicis, ita in Simplice in V libros sunt divisi (Ps. extr. XLI, LXXII, LXXXIX, CVI). Capitum distributio usque ad Ps. CXIV omnino quadrat ad nostram, Ps. CXIV et CXV in Simplice unum efficiunt, CXLVII in duas partes discernitur [1]). Distributio autem versuum (ܦܬܓܡܐ) plane a nostra ratione discedit, quorum quidem numerus capitibus praescribitur. Textui interdum quaedam inseruntur vocabula, quae ad usum liturgicum — sit venia verbo —, suspicor, respiciunt; velut ܫܘܒܚܐ, quae vox in Pesch. ut nunc exstat, novies [2]) legitur, sed procul dubio est habendum, hoc persaepe temporibus superioribus in Versione Nostra esse perhibitum. Nam — ut praemittamus, quae infra copiose illustrabimus — nullus liber Versionis Syriacae tam multas corruptelas perpessus est et mutationes, quam Psalmi, qui antiquitus in ecclesiis ad precationes et religiones a laicis adhibebantur et ad usum privatum descripti, a librariis multum coloris pristini amittebant [3]). Quamvis vero

---

1) In LXX interpp. versione Psalmi IX et X unum efficiunt (Cf. Tossafoth Megil. 17 b.) item CXIV et CXV; CXVI et CXLVII in binas partes dissecantur.

2) In Psalmis XXXVII, 21; LXVIII, 18; LXIX, 19; LXXVIII, 51; LXXXIX, 25; CIV, 18; CV, 22; CVI, 23; CVII, 21; Apud Bar-Hebraeum Ps. LXVIII, 18 hoc ܫܘܒܚܐ non legitur. (Ps. LXVIII ed Knobloch).

3) Dathe hoc argumento nixus, Simplicem Psalmorum e Bibliis Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus mutuatam nihili esse faciendam voluit, quod hae editiones ex exemplaribus ad usum laicorum destinatis essent descriptae (l. l. praef. XXIX).

pauca ܦܣܘܩܐ exempla exstent, tamen vocis naturam elicere posse mihi videor. Judaeos quum omnem humanarum rerum cum Deo confusionem anxie vitasse, tum Judaicam nationem religionemque gravissime a paganis secrevisse satis constat; quo factum est, ut in Targumis anthropomorphismi, qui dicuntur, circumscriberentur. In versione autem Psalmorum ad usum privatum destinatorum disiunctio illa expresse demonstrata est, quae res cognosci potest ex hoc loco אלהים זדים קמו עלי קודש אלא שהקורא צריך שיהא מפסיק בקריאתו: (Sofrim 4, 9). „Vox אלהים (Ps. 86, 14) sacra est (i. e. ad Deum respicit) qua re *seiungi* debet in legendo a verbis, quae sequuntur: זדים קמו עלי (ibid.)." Seiunctionem illam significat ܦܣܘܩܐ in versione nostra, quod probant exempla haec: Ps. 68 hoc ܦܣܘܩܐ (inter vers. 18 et 19) seiungit verba אדני בם סיני בקדש, quae ad Deum spectant, a verbis עלית למרום, quae in Talmude ad Mosen referuntur[1]). — Ps. 104, 9, ubi poeta a rerum naturae descriptione ex inopinato ad Deum recurrit verbis: עָשָׂה יָרֵחַ (sc. Deus), quae secernuntur per ܦܣܘܩܐ. (vers. 19): — Ps. 78, 51; 89, 24; 105, 22 hoc ܦܣܘܩܐ secernit Israelitas ab Aegyptiis sive Davidem ab hostibus Dei cett.[2]). Atque alia eiusmodi formula dicendi est: ܫܘܠܡܐ ܘܪܫܡܪܡܝܬܐ quae in nostris editionibus quatuordecies in Psalmis extr. invenitur[3]). Quae verba sine dubio ad usum liturgicum Psalmorum sunt referenda — utrum Judaeorum

---

1) Cf. Sabbath 89 a, Exod. Rabb. cap. 28 et 33.

2) Ps. 37, post versum 21. ܦܣܘܩܐ non suo loco suspicor, legitur; pertinere potius videtur ad versum 22, ut seiungantur verba וּמְקֻלָּלָיו יִכָּרֵתוּ a verbis מֵה׳ מצעדי גבר (v. 23). Eiusmodi inserta parum diligenter esse adhibita demonstrat, quod apud Bar-Hebr. (pag. 95.) Ps. 68, 19 hoc ܦܣܘܩܐ deest. Similem neglegentiam in voce סלה usurpanda inveniemus.

3) In Pss. extr. 14, 24, 36, 44, 55, 67, 74, 82, 91, 103, 107, 118, 131, 144. His notis liber Psalmorum in XV partes fere pares dividitur. Apud Judaeos quoque Psalmi in XXX vel VII partes sunt divisi in precationum quotidianarum usum.

an Christianorum equidem in medio relinquo. סלה, quam vocem Psalmi septuagies exhibent et LXX interpp. *διάψαλμα* reddunt, Judaei volunt significare: „in perpetuum“ [1]) eodemque modo vertunt Targumim: לעלמין [2]). Hac de re in editionibus Pesch. nostris magna versatur perturbatio; attamen inde possumus colligere, סלה in Simplice antiquitus fuisse translatum: ܠܥܠܡ sive ܠܥܠܡܝܢ. Plurimis quidem locis (37) סלה penitus est omissum, saepissime (27) in eius loco ܕܡܫܠ (ܕܡܫܠܡܘܢ) est positum; septies lectio vetus ܠܥܠܡ sive ܠܥܠܡܝܢ superest; (duobus locis ܠܥܠܡܝܢ (ܠܥܠܡ) et ܕܡܫܠ exstat). Interdum (8) ܕܡܫܠ exhibetur, ubi nec LXX interpp. versio *διάψαλμα* continet nec סלה in textu Hebraico legitur; semel textui ipsi est innexum (55,20 וישב קדם סלה, Pesch: ܕܐܝܬܘܗܝ ܡܢ ܩܕܡ ܠܥܠܡܐ [3]). Inde licet colligere, corruptiones hic irrepsisse in contextum. Atque quum animo reputaveris dictum Jacobi Edesseni supra (pag 6) laudatum: ܘܡܦܩܢ ܡܢ ܝܘܢܝܐ ܠܣܘܪܝܐ ܫܠܡ. ܕܡܫܠܡܢܐ ܥܒܪܝ ܐܦ ܢܣܡܟ facile concedes ܠܥܠܡ (ܥܒܪܝ ܐܦ) nihil aliud esse nisi de Hebraicis versionibus i. e. Hebraicis litteris expressis, reliquum.

Quum vero aggredimur ad Psalmorum titulos, permirum est quod, perpaucis (4) exceptis [4]), non levissima vestigia inscriptionum Hebraicarum piae se ferunt [5]); auctores autem Psalmorum semper nominantur, qui cum exemplari, interdum

1) Cf. Erubin 54 a. כל מקום שנאמר נֶצַח סלה וָעֶד אין לו הפסק עולמים.

2) Aquila quoque סלה vertit »ἀεὶ«. Habakuk 3, quo in capite ter exhibetur סלה, in Simplice semel (v. 3) omittitur, v. 9 redditur ܡܫܡܫܢܐ, v. 13 ܠܥܠܡܝܢ.

3) Cf. appendicem II, ubi accuratioris collationis causa hos locos congessi.

4) Pss. 17, 51, 57, 90.

5) Dathe (l. l. praef. XXXVI) inde collegit, a Syris inscriptiones Hebraicas non divinas esse habitas. Hoc modo res non probatur; Bar-Hebraeus ipse summa diligentia antiquissimarum Versionum collegit titulos.

cum LXX interpp. versione congruunt [1]). Quae inscriptiones quum vulgo contineant res ad dogmata Christiana pertinentes, Gesenius a Christiano Psalmos esse translatos voluit; recentiores vero viri docti coniectaverunt, eas esse additamenta posteriora, nec coniecturam argumentis ullis studuerunt probare. Rebus ita compositis, vehementur est dolendum, his in angustiis nobis deesse Ephraemi commentarios. Attamen si diligenter rem perspicimus, in inscriptionibus quaedam res de Davidis vita traduntur, de quibus monumenta litteraeque nusquam alias perhibent [2]), aliaque momenta historica, quae ad Davidem non spectant, commemorantur [3]). Permulti quidem Psalmi duplices titulos exhibent, quorum alter a ܡܫܡܠܝܢܘܬܐ orditur, alter a ܪܘܚܢܐܝܬ vel ܘܥܠ, ܘܠܘܩܒܠ, ܕܥܠ, ܘܥܠ, cett; ille quidem plerumque ad Davidis vitam, hic ad dogmata Christiana pertinet. Mea quidem sententia — ut de duplicibus titulis primum faciam verba — illae inscriptiones carent omni nexu; nam pars prior earum ex veteribus Judaicis inscriptionibus relicta, plerumque corrupta est, tamen eius vestigia genuina magis minusve perspicua videntur; posterior vero a Christianis hominibus est addita. Equidem autem volo Judaicas et veteres inscriptiones non esse nostras Hebraicas, sed ὑποθέσεις de argumento, de ritu cett, qua tum ratione Judaei Scripturam Sacram interpretabantur. Nec est praetermittendum Psalmos tum in usu fuisse privato..

Atque quod Romanis imperantibus condicione miserrima fruebantur *Palaestinenses* iam ante templum II deletum, *exterique* Judaei gravissimis persecutionibus vexabantur, spes

1) Quod interdum ܠܡܙܡܘܪ in Simplice deest, in textu autem Hebraico et in LXX interpp. versione exhibetur, vel vice versa, fluxit facile ex librariorum errore (Cf. Ps. 22 in Pesch.) Eiusmodi peccata etiam in variis LXX interpp. versionis codicibus saepe invenies.

2) Ps. 11 titulus est hic: ܠܡܙܡܘܪ ܡܢ ܐܬܬܢܝܣ ܒܡܠܐ ܕܠܐ ܕܐܬܒܥܝ ܗܘܐ ܘܒܣܘܥܗ Cf. 40. 144 alios.

3) Ps. 107 inscriptionis partem priorem conferas cum I Samuel 8, 3.

Messiae populo in succum et sanguinem abiit. Atque Hierosolymis deletis regnoque Judaeorum sepulto Messias desiderabatur maxime, qui Judaeos miseria liberaret, in dignitatemque pristinam restitueret. Quae sententia in omnibus precationibus Hagadicisque manifestabatur explicationibus, maxime vero subiiciebatur Psalmis, quibus etiam Christiani ad Messiae adventum probandum utebantur. Idcirco praeter res liturgicas Messianam opinionem in nostris titulis praecipue inveniemus; qui quum Christianorum offenderent animos, quoniam Messias eorum iam venerat, emendati sunt, et ad Davidem, ad liberationem de exsilio Babylonio, ad Messiam iamiam in lucem prolatum, sunt relati.

Paucis tantum in Psalmis accidit, ut titulus genuinus, qui ad verbum fere interpretationes Halachicas Hagadicasque sequitur, integer maneret et incorruptus. His nixi demonstrare conabimur, *Psalmorum inscriptiones a Judaicis ducere originem easque postea additamentis et mutationibus de industria colore Christiano esse infectas.*

Atque id aperte et luculenter eo probatur, quod glossae Christianae, de quibus modo diximus, apud Eusebium Caesareensem pro titulis Psalmorum propriis afferuntur. Quae quum ita sint, *his* titulis nihil commune esse cum reliquis inscriptionum partibus Simplicis Nostrae, luce est clarius. Utrum vero Eusebius inscriptiones de Simplice petierit — quod non multum a vero aberrare mihi videtur — an conrarium usu venerit, pro certo dicere non possum. Ad rem illustrandam unum sufficiat attulisse exemplum (afferri possunt plus centum): Ps. 36 titulus est hic: ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܢܒܐ ܗܘܐ ܠܗ ܥܘܠܐ. ܘܥܠ ܡܫܬܘܕܥܢܘܬܐ ܕܒܟܠܝܘܡ، ܘܐܦ ܡܟܣܢܘܬܐ ܠܐܠܗܘܬܐ. Pars altera, quae a ܘܥܠ orditur, invenitur apud Eusebium 35 (36): *Ἔλεγχος ἀσεβῶν σὺν θεολογίᾳ;* quod plerisque in Psalmis (114) apparet [1]).

Partes autem priores a Judaeis, ut modo diximus, ducunt

1) Ut conspectus fiat facilior, et comparatio magis accommodata, inscriptiones Psalmorum, quae exstant apud Eusebium, in appendice III congessi.

originem, quarum nonnullae ad verbum fere cum illis concordant, quae in libris Talmudicis inveniuntur, uti his probatur exemplis:

Ps 114: ܠܐ ܡܫܡܗܢܐ. ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܥܡܡܐ ܕܠܐ ܡܗܝܡܢܐ ܕܡܫܝܚ، cett. ܗܘܐ ܥܠ ܡܫܠܐ. ܘܒܟܠ (de parte altera cf. apud Euseb. 113) „Anonymus, — si V. T. respicimus — de Mose qui celebrabat Deum apud mare.“ De hoc Psalmo Talmud (Pesach. 117 a) haec facit verba: הלל זה מי אמרו? ר׳ אלעזר אומר משה וישראל אמרוהו בשעה שעמדו על הים. „Quis cecinit hoc carmen? R. Elieser dicit; Moses et Israelitae cecinerunt, quum ad mare constiterunt.“ Cf. infra ad Ps. 113.

Ps. 117 (116) ܠܐ ܡܫܡܗܢܐ. ܡܬܐܡܪ ܥܠ ܕܚܒܪ̈ܘܗܝ ܚܢܢܝܐ ܟܕ ܢܦܩܘ ܡܢ ܐܬܘܢܐ. (pars altera ap. Euseb. 116) „Anonymus, De sociis Ananiae e camino egressis.“ Cf. Pesachim 118 a: עלייתן (של צדיקים) מכבשן האש דכתיב הללו את ה׳ כל גוים אמר חנניה שבחוהו כל האומים אמר מישאל כי גבר עלינו חסדו אמר עזריה ואמת ה׳ לעולם הללויה אמרו כלן. i. e. „hic psalmus pertinet ad eorum (iustorum) egressum e camino: הללו את ה׳ כל גוים (vers. 1) ait Ananias, שבחוהו כל האומים (vers 1) ait Mischael, כי גבר (v. 2) ait Asaria, ואמת ה׳ (vers 2) omnes (tres) sunt locuti.“

Ps. 115 (116) Prior quidem pars ad Christianorum Messiam spectat (cf. apud Euseb. 114), alterius vero verba sic leguntur: .... ܘܡܬܐܡܪ ܥܠ ܗܘܟܪܢܐ ܕܡ ܐܬܐ ܫܐܘܠ ܥܠ ܬܪܥܐ ܕܡܥܪܬܐ ܗܝ ܕܒܗ ܡܛܫܐ ܗܘܐ ܕܘܝܕ ܘܓܒܪ̈ܘܗܝ i. e. „Quum Saul commoratus est ad speluncae introitum (I Sam. 24, 4), ubi David eiusque comites se occultabant.“ cf Jalkut ad vocem: ויהי דוד נחפז ללכת (I Sam. 23, 26) הקיפו עליו בעטרה כיון שראה דוד עצמו מצומצם ביד שאול ואנשיו התחיל אומר... אני אמרתי בחפזי כל האדם כוזב i. e. „Et David properavit proficisci“ (I Sam. 23, 26) quia circumdederunt eum undique; quum David Saulum eiusque comites sibi instantes videret, coepit dicere: אני אמרתי cett. (vers. 11 Ps. nostri). Cf. similem Raschi et Ibn Esrae interpretationem ad vers. 11 huius Ps.

Ps. 133 ܠܕܘܝܕ. ܟܕ ܡܫܡܫܢܐ. ܡܬܐܡܪ ܥܠ ܟܗܢܐ ܘܥܠ ܐܗܪܘܢ ܕܒܥܡܪܝ ܗܘܘ ܒܡܫܡܫܢܘܬܐ ܒܗܝܟܠܗ ܕܡܪܝܐ i. e. A Davide, ex

(psalmis) ascensionis (שיר המעלות), de Mose et Ahrone in tabernaculo, in aede Dei, versantibus (alteram partem vid. apud Euseb. 132) Cf. Horajoth 12 a et Levit. Rabb. cap. 3, ubi verba שבת אחים גם יחד (vers 1 hui. Ps.) ad Mosen et Ahronem *fratres* in tabernaculo ministrantes referuntur, totusque psalmus ita explicatur.

Ps. 141 ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܡܬܗܓܐ ܒܬܫܡܫܬܐ ܕܪܡܫܐ (reliqu. part. v. apud Euseb. 140) „A Davide, quum meditatus est cultum divinum *vesperi* agendum," et

Ps. 5 ܠܕܘܝܕ .... ܟܕ ܡܩܕܡ ܠܒܝܬܗ ܕܡܪܝܐ (priorem partem apud Euseb. 5). „A Davide . . . quum *mane* ad aedem Domini se contulit." Titulus uterque est derivatus ex Berachoth 6 b: (לעולם יהא אדם זהיר) אף בתפלת ערבית שנאמר „תכון תפלתי קטרת לפניך משאת כפי מנחת ערב" (Ps. 141, 2) ר' נחמן אמר . אף תפלת שחרית שנאמר „ה' בקר תשמע קולי בקר אערך לך ואצפה" (Ps. 5, 4) i. e. „Semper homines magni ducant precationes vespertinas, nam ita exstat: תכון תפלתי etc. (141, 2). R. Nachman dicit, etiam de precationibus matutinis agi, legitur enim בקר תשמע קולי" (5, 4)[1].

Ps. 44 ܠܒܢܝ ܩܘܪܚ ܟܕ ܡܙܡܪ ܒܗ ܥܡܐ ܒܚܘܪܝܒ ܥܡ ܡܘܫܐ ܘܬܘܒ ܬܟܫܦܬܐ ܕܢܒܝܐ ܕܕܘܝܕ ܘܫܪܟܐ (reliqu. partem v. apud Euseb. 43). „A filiis Qorachi; quem psalmum populus cecinit una cum Mose ad Horeb montem, porro etiam supplicatio prophetarum Davidis et reliquorum". De priore titulo cf. Deut. Rabb. cap. 3 אלהים באזנינו שמענו אמר רבי תנחומא שמענו מה שאמרת למשה בסנה (בחורב) . . „O, Deus, auribus nostris percepimus" (vers 2, h. p.) R. Tanchuma dicit: per-

---

1) נחילות, quam vocem in Ps. V inscriptione Hebraica deprehendimus, in Hagada idem valet quod נַחלות et at templum refertur, cf. Midr. Tillim ad v. I ps. h.: .....למנצח אל הנחילות נחלה זו בית המקדש; (inde, opinor, exorta sunt verba ܥܠܗ ܕܝܪܬܐ), eodem modo vertunt LXX: ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης. Mirum quidem est, quod etiam Bar-Hebr. vocabulum ita itellegit: ... ܡܛܠ ܝܪܬܘܬܐ ܗ̇ (ܥܕܬܐ) ܡܛܠ ܐܘܪܫܠܡ ܗܘܬ ܝܪܬܘܬܐ ܕܕܘܝܕ (Ps. V edidit Rhode.)

cepimus, quae dixisti Mosi in dumo (ad Horeb montem)", et ibid. אבותינו ספרו לנו זה משה שנקרא אב לנביאים „*patres* nostri nobis narrabant" (v. 1. h. ps.) i. e. Moses qui nominatur *pater* prophetarum" Alter titulus ex alia interpretatione Hagadica ortus esse videtur: בני קרח אומרים אלהים באזנינו שמענו.....וכי באזניהם שמעו והלא הם עצמם יצאו ממצרים... אלא שהתנבאו על הדורות האלה „Filii Qorachi, o Deus, aiebant, auribus nostris percepimus, (v. 2. h. ps.), remne solum fando audiverunt? ipsi quidem exierunt ex Aegypto! Scilicet *vaticinati* sunt posteritati."

Ps. 45. ܐܡܝܪ ܠܒܢܝ̈ ܩܘܪܚ ܒܝܘܡܝ̈ ܡܘܫܐ „Carmen a Qorachi filiis tempore Mosis dictum" (de altera parte cf. apud Euseb.) Jalkut ad psalm. nostrum: משה אהרן וכל ישראל באין לשמוע שירה של בני קרח שנאמר "למנצח על ששנים לבני קרח משכיל שיר ידידות" (v. 1) „Moses, Ahron et omnes Israelitae venerunt auditum carmina Qorachi filiorum; nam ita exstat: למנצח etc. (v. 1. h. ps.). Etiam Targum interpretatur: על יתבי סנהדרין דמשה דאתאמר בנבואה על ידיהון דבני קרח. „de iis qui sedebant in Synedrio Mosis praedictio Qorachi". Cf. Jalkut ad vocem ששנים hui. ps.

Ps. 47 ܠܒܢܝ̈. ܩܘܪܚ ܡܙܡܘܪܐ ܕܫܘܒܚܐ ܕܐܠܗܐ ܕܒܛܘܪܐ ܣܝܢܝ (alt. p. ap. Euseb.). „A Qorachi filiis, de laude Dei ad montem Sinai dictum" Pirke R. Elieser: משה עלה בהר והעבירו קול שופר במחנה . . . ונתעלה הקדוש ברוך הוא באותו שופר שנאמר עלה אלהים בתרועה. „Quum Moses ascendit in montem (Sinai), per castra tuba personavit deum extollens, nam ita legitur „Ascendit Deus tuba sonante" (vers. 6. h. ps.).

Ps. 53 ܥܠ ܐܚܝܛܘܦܠ ܕܡܠܟ ܠܐܒܫܠܘܡ ܕܢܪܕܘܦ ܠܐܒܘܗܝ ܕܘܝܕ ܐܚܕܘܗܝ ܘܢܩܛܠܘܗܝ ܘܗܦܟ ܥܘܠܗ ܒܪܫܗ ܘܡܝܬ. „De Achitophele Absalomi persuadente, ut Davidem patrem persequeretur et necaret, quod scelus in caput suum recidit, ut moreretur." Cf. Midr. Tillim ad vers. 6: מתפחדים הצדיקים כשרואין את אחיתופל בגיהנום לכך נאמר שם פחדו פחד. „Homines iusti pavent, quum videant Achitophelem in Gehinnom, ita perhibetur: „ibi metuunt trepidantque" (vers. 6. h. ps.).

Ps. 55 ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܐܬܐܒܠ ܥܠ ܐܒܫܠܘܡ ܒܪܗ ܕܐܬܩܛܠ „A Davide, quum Absalomis filii mortem lugeret". (alt. part. ap. Eu-

seb. 54.). Amicus perfidus, in quem, quasi calamitatis suae auctorem, psalmista omne effundit odium, (verss. 14, 15, 16) in Hagada Achitophel idemque suasor Absalomis nominatur: cf. Aboth 6, 3: דויד מלך ישראל קראו (לאחיתופל) רבו אלופו ומיודעו שנאמר ואתה אנוש כערכי אלופי ומיודעי. „David, rex Israelitarum, eum (Achitophelem) magistrum, dominum, familiarem appellavit, ita enim legitur: „et tu homo, domine mi et familiaris“ (v. 14. h. ps); cf. Targum ad vers. 14: ואנת אחיתופל גברא etc. et Sanhedr. 106 a. ad vers. 24: לא יחצו ימיהם.

Ps. 74 Prior tituli pars de Davide agit, (cf. infra 57 seqq.) alterius verba sunt haec: ܘܬܘܒ ܡܛܘܠ ܡܬܢܒܝܢܘܬܐ ܕܚܒܫܘܬ ܡܕܝܢܬܐ ܕܝܗܘܕܝܐ ܒܫܢܬ ܐܪܒܥܝܢ ܒܬܪ ܣܘܠܩܗ ܕܡܫܝܚܐ ܡܢ ܐܣܦܣܝܢܘܣ ܣܒܐ. ܘܛܛܘܣ ܒܪܗ ܕܩܛܠܘ ܡܢ ܝܗܘܕܝܐ ܕܠܐ ܡܢܝܢܐ ܘܚܪܒܘܗ̇ ܠܐܘܪܫܠܡ ܘܐܫܬܠܡܘ ܝܗܘܕܝܐ ܠܡܘܣܒܪܢܘܬܐ. „Praeterea praedictio obsidionis Judaeorum urbis anno XL post ascensionem (Christi) per Vespasianum senem et Titum filium factae, qui innumeros Judaeos trucidaverunt et Hierosolyma depopulati sunt, a quo tempore usque ad hunc diem Judaei sunt despecti“. Inscriptio nostra, quamquam iam prae se fert speciem Christianam, tamen cum Talmude plane conspirat: Gittin 56b: „שאגו צורריך בקרב מועדיך שמו אותותם אותות“ (v. 5. h. ps.) זה טיטוס שחירף וגידף כלפי מעלה מה עשה וגו'; — „Verba: שאגו צורריך ad Titum, qui deo maledicebat eumque insultabat, respiciunt cett.“; eandem ob causam hunc psalmum in usum liturgicum convertebant Judaei, nono die mensis Ab. (quo Hierosolyma sunt deleta). Cf. Sofrim 18, 3.

Ps. 49 ܠܐܣܦ ܐܡܝܪ ܥܠ ܚܘܪܒܗ ܕܐܘܪܫܠܡ, „Ab Asapho de Hierosolymorum excidio dictus.“ Ad verbum congruit titulus cum Targumo תושבחתא על ידוי דאסף על חורבן בית מקדשא, „carmen Asaphi de templo destructo“. Cf. Jalkut 827, et Midrasch Tillim ad hunc ps.

Ps. 85 ܠܒܢܝ ܩܘܪܚ, ܫܝܢܐ ܘܦܘܪܩܢܐ ܕܗܘܐ ܠܗܘܢ ܡܢ ܐܠܗܐ „A filiis Qorachi: de calmitate et de salute ipsis a Deo parata.“ Cf. Jalkut 746 ואש יצאה מאת ה' ותאכל את חמשים ומאתים איש . . . . וקפץ הקב"ה (את בני קרח) והצלם. „Et ignis profectus est a Deo, etc. (Num. 16, 35), filii Qo-

rachi soli a Deo sunt servati, nam ita legitur: למנצח etc.“ (v. I h. ps.).

Ps. 87 ܥܠ ܦܘܪܩܢܐ ܕܐܘܪܫܠܡ. „De Hierosolymis servandis.“ Talmudistae vers. 5: ולציון יאמר significare volunt, Urbem per Messiam in libertatem vindicandam (Chetub. 75 a). Cf. Raschi ibid. et Midr. Tillim ad vers. 2 et 4.

Ps. 101 ܠܐܣܦ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܕܘܝܕ ܟܠ ܐܢܫ ܕܪܫܝܡ ܠܡܫܡܠܝܘ ܒܒܝܬܗ ܕܡܪܝܐ „Ab Asapho; David cohortatur eos qui destinati sunt ad ministerium in Domini aede perficiendum“. Pariter Midrasch vult hunc Psalmum spectare ad Levitarum gentem: Num. Rabb. cap 1, extr: ועל שבט לוי אמר הכתוב עיני בנאמני ארץ. „De gente Levitarum dicit Scriptura עיני בנאמני“ (v. 6. h. ps.). Cf. ibid cap. 3 et 6 ad vers. 6. et Targum ad vers. 7.

Testimoniis his modo allatis efficitur dilucide, quantum, qui titulis Psalmorum merum Christianum auctorem attribuebant, peccaverint. Psalmi quidem, quos laudavimus, plerumque duos, interdum complures titulos exhibent — exceptis 79 et 87, ubi inscriptio Christiana, quae apud Eusebium exstat, non invenitur — qui ne minimum quidem connexum habent; quod momentum sententiam nostram non mediocriter adiuvat. *Alter* quidem titulus de Hagada vetustissima derivatur, a Christianis alter est additus.

Nec leve documentum originis Judaicae est, quod, quum in Psalmis ipsis nomen Dei ubique ܡܪܝܐ et ܐܠܗܐ reddatur, in *titulis* Psalmorum undecies[1]) invenimus ܐܕܘܢܝ — ita Judaeos nomen Dei pronuntiare satis est notum —, bis[2]) nomini ܐܕܘܢܝ vox ܨܒܐܘܬ (צבאות) est adiecta; inscriptio Ps. 148, mero sermone Hebraico expressa, est haec: ܐܕܘܢܝ ܡܫܝܚܐ ..... ܡܪܝܐ ܨܒܐܘܬ ܐܠܫܕܝ (אל שדי). Eius generis titulos non posse conscribi ab hominibus Christianis, facile mihi lector benevo-

1) In Psalmis 5, 33, 45, 86, 93, 106, 110, 113, 117 (118), 131 (132), 148.

2) In Psalmis 131 (132), 148.

lus praesumptaeque opinionis expers concedet[1]). Immo inscriptiones illae ad Judaeorum usum erant destinatae, quae aut Psalmorum argumenta exhiberent, aut usui liturgico satisfacerent, *neque tamen* titulos Hebraicos, qui etiam nunc in contextu Hebraico exstant, oblivione obruerent. Nam Pesch. initio inscriptiones Hebraicas retinuisse, inde licet colligi, quod etiam nunc quamvis paucae reperiuntur[2]). Accedit quod nomina auctorum Psalmorum, quae contextus Hebraicus appellat, fere semper servata sunt in Versione Nostra. Nec potest statui Simplicem, quae alioquin premit exempli vestigia, in hac ipsa causa tantam sibi sumpsisse libertatem[3]).

Maioris quidem momenti ad Pesch. recte diiudicandam tituli sunt de industria per Christianos vitiati, nec raro res profecta est ab hominibus plane illiteratis; nam invenimus res a litteris monumentisque, quae nobis sunt prodita, abhorrentes, aut res diversas mire confundentes. In ipsis eiusmodi titulis interdum possumus invenire genuinos, qui olim exstabant.

Ubi autem res quaelibet — quae plerumquae spectant ad Davidis vitam — in locum inscriptionum genuinarum successerunt, nec eae ullam habent ansam in argumento Psalmorum vel interpretatione Hagadica, solum restat remedium, ut ad coniecturam probabilitatemque confugiamus; quo auxilio supersedere mihi posse videor, quoniam, quae exempla allaturus

---

1) Dathe (praef. XXXVI) annotavit, in codice, qui exstat in »Bibliotheca Orphanotrophei Halensis, inscriptiones alias esse Psalmorum, quam quae in Polyglottis Londinensibus leguntur, easque ut plurimum breviores.« Quamvis vero omnia experirer, ut hac de causa aliquid certi cognoscerem, ne levissimam quidem rem, ut perciperem, mihi contigit. Equidem coniicio, ibi aut titulos Judaicos solos exstare, aut Christianos, qui quidem concordare debent cum Eusebio. Quisquis me hac de quaestione edocebit, me maxima gratia obstrictum tenebit.

2) Cf. Pss. 17, 51, 57, 90.

3) Quod Dathe vult, a Syris divinam inscriptionum naturam negatam, caducum est et imbecillum, nititurque opinione falsissima. Cf. Psalterium Syriacum, praef. pag. XXXVI et supra pag. 49.

sum, opinionis nostrae laudabunt veritatem. In his exemplis non est praetermittendum, quod iam supra diximus: titulos ad Judaeorum res liturgicas opinionemque Messianam spectantes ita a Christianis esse mutatos, ut ad Davidem, ad liberationem de exsilio Babylonio, ad Christum iamiam in lucem prolatum referrentur.

Ps. 11 . . . . ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܐܬܬܐܒܠ ܥܡܐ ܕܐܫܬܒܝ ܗܘ ܘܒܢܘܗܝ „A Davide, quum populus erat in luctu quod ille (David) eiusque filii capti erant.“ Quae res nusquam alibi memoriae traditur; procul dubio titulus spectat ad populi de Hierosolymis deletis magnoque Judaeorum numero capto *moerorem*. Cf. Jerusch. Pesachim IV, 1: כשייא דנהגי דלא למשתייא מן דאב עליל שבו פסקה אבן שתייה מאי טעם כי השתות יהרסון. „Feminae non solent nere inde ab Ab mense ineunte; eo enim fanum est dirutum, ita legitur: „fundamenta sunt subducta et labefactata“ (v. 3. h. ps.). Item Sanhedrin 20 b: כי השתות יהרסון, אילו בית המקדש יהרס צדיק מה פעל „fundamentis destructis (v. 3) i. e. templo everso, quid iusto homini est faciendum“ [1]).

Ps. 42. Partem priorem vid. apud Euseb., alterius verba haec sunt: ܘܟܕ ܙܡܪ ܡܙܡܪܢ ܒܗ ܒܥܪܘܩܝܐ ܟܕ ܪܓܐ ܕܢܗܦܘܟ ܠܐܘܪܫܠܡ „Quem (psalmum) David cecinit in fuga, quum desiderio capiebatur redeundi Hierosolyma“ Quod enuntiatum nihil aliud significat, nisi precationem a Judaeis exsulibus factam, qui maxime cupiunt in patriam reverti et Messiae adventum exspectant, quae inscriptio postea ad Davidem est relata. Pesikt. Rabb. cap. I: אמרו (v. 3. h. ps.) מתי אבוא ואראה ישראל רבונו של עולם אימתי אתה מחזיר לנו הכבוד שעלינו שלש פעמי רגלים ורואים פני השכינה וכו. „Quando veniam et apparebo coram Deo (v. 3. h. ps.), Israelitae, Domine mundi, inquiunt, quando nos honore prosequeris, ut ter anno ascendamus (Hierosolyma. cf. Deut. 16, 16) et videbimus splendorem tuum?“ cf. Targum ad vers. 5.

---

1) Fortasse eodem spèctat Peschittho, quum verba: כי השתות יהרסון vertit ܡܛܠ ܕܡܕܡ ܕܬܩܢܬ ܣܚܦܘ »quoniam id quod parasti destruxerunt«.

Ps. 84. ܠܒܢܝ̈ ܩܘܪܚ. ܗܘ ܕܝܢ ܡܠܠ̈ܗܝ ܗܘ ܟܕ ܐܙܠ ܡܢ ܨܗܝܘܢ ܠܡܨܠܝܘ ܒܒܝܬܗ ܕܐܠܗܐ. (altera pars ap. Euseb.) „A filiis Qorachi, David meditatus est quum de Zione discessit, in aede Dei precaturus.“ E Targ. ad vers. 11.[1]) colligi licet, hunc Psalmum esse existimatum precationem, qua, ut ab exsilio populus liberaretur ac templum restitueretur, oravisset poeta.

Ps. 88. ܥܠ ܥܡܐ ܕܒܒܒܠ. „De populo qui erat Babylone.“ Targ ad vers. 7. שויתא יתי בגלותא דמתילא לגובא ארעיתא „Tu me eiecisti in exsilium quod est specus instar.“ — Eodem modo dicitur:

Ps. 89. ܥܠ ܥܡܐ ܕܒܒܒܠ. „De populo qui erat Babylone.“ Hagada quoque hunc Psalmum ad Judaeorum exsilium revocat, et quidem ad exsilium, quod post templi II excidium accidit, et praedictiones, quas in Psalmo nostro deprehendis, ad Judaeorum Messiam vult referri. Targ. ad vers. 45: בטלתא כהניא דמדין על מדבחא ומדכין עמיה וכו׳ „Finem imposuisti sacerdotibus, qui adspergebant aras populumque expiabant (sacris).“ Etiam clarius hic sensus exprimitur ad vers. 51 et 52: בעלי דבבך ה׳ די חסידו איחור רושמת רגלי משיחך. „Adversarii tui, o Deus, irrident nos, quia non apparent vestigia pedum (adventus) Messiae tui.“ (Item explicant Raschi et Ibn Esra ad vers: 51 et 52). —

Ps. 107. Prior pars, quae de Samuelis filiis agit, caret fide historica[2]), alterius verba sunt haec: ܟܢܫ ܐܢܘܢ ܐܠܗܐ ܠܝܗܘܕܝܐ ܡܢ ܫܒܝܬܐ ܘܐܣܩ ܐܢܘܢ ܡܢ ܒܒܠ ܘܟܢܫ ܒܪܐ ܝܚܝܕܝܐ ܕܐܠܗܐ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܠܥܡ̈ܡܐ ܡܢ ܐܪ̈ܒܥܝܗܝܢ ܒܣܘܪܒܬܐ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ „Deus collegit Judaeos de exsilio eosque reduxit Babylone, Jesus Christus, unicus Dei filius, praedictione (Evan-

1) etc. ארום טב למתב יומא חד בבית מקדשך מן אלף בגלותא

2) ܠܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ. ܡܛܠ ܕܐܡܪ ܥܠ ܗܘܝܐ ܘܐܒܗ̈ܐ ܕܒܢܝ ܫܡܘܐܝܠ ܕܢܣܒܝܢ ܗܘܘ ܒܫܘܚܕܐ. Cf. I Sam. 8, 3. Fortasse haec inscriptio spectat ad Psalmi nostri similitudinem cum Samuelis cohortatione (cf. Ps. Nostri vers 24—26 cum I Sam. 12, 17—19).

gel.) gentes e quattuor terrae plagis collegit ad baptismum.“ Hoc quidem enuntiatum, quod a Christianis corruptum exstat, proprie ad Messiam Judaeorum pertinebat; titulus genuinus ad litteram fere potest cognosci e Midr. Tillim ad vers 2: יאמרו גאולי ה׳ אשר גאלם מיד צר היה לו לומר אשר יגאלם......אמר הקדוש ברוך הוא לישראל כשהייתם במצרים הייתם מפוזרים וכנסתי אתכם...ועכשיו שאתם מפוזרים בכל הארצות אני אקבץ אתכם לעתיד לבוא. „Dicant liberati a Deo, qui eos *liberavit* a manu hostium“ (v. 2. h. ps.) poeta dicere debuit: qui eos aliquando *liberabit* . . . . . Deus Israelitis „dispersi quum eratis,“ inquit, „in Aegypto, vos collegi . . . . nunc vos in omnes terras sparsos in futurum rursus colligam“ [1]). Cf. Targ. ad vers. 7, 34, 35. —

Interdum inscriptionum mutationes inde exortae sunt, quod tituli genuini non intellegebantur, id quod usu venit in Ps. 23, 144 aliis.

Ps. 23. ܠܕܘܝܕ ܥܠ ܦܬܘܪܐ ܕܡܠܟܘܬܗ „A Davide, de mensa regni (?) sui“; hoc enuntiatum, ut nunc exstat, caret sensu. Secundum interpretationem Hagadicam hic Psalmus precatio est Davidis ad imperium recuperandam. Midr. Tillim ad vers 5: תערוך לפני שולחן זה המלכות נגד צוררי זה דואג ואחיתופל: „Instrue mihi mensam“ (v. 5. h. ps) i. e. regnum, „coram adversariis meis“ (ibid) i. e. Doeg et Achitophel, cett.“ E verbis: שלחן זה המלכות exortum est ܦܬܘܪܐ ܕܡܠܟܘܬܗ.

Ps. 144. ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܩܛܠ ܠܐܣܦ ܐܚܘܗܝ ܕܓܘܠܝܕ „A Davide postquam Asaphum, Goliathis fratrem (!) interfecit“. Qui titulus perversus et corruptus sine dubio originem duxit a librario illiterato. Argumentum tituli certe hoc erat: Quum David interfecisset Goliathem. Item in LXX interpp. versione: *Πρὸς τὸν Γολιάδ.* Cf. Midr. Tillim ad Ps. nostrum: המלמד ידי לקרב ואצבעותי למלחמה אימתי למד את אצבעותי כשהרגתי את גולית „Qui docebat manus meas pugnam et digitos meos bellum“ (v. 1. h. Ps.) i. e. eo tempore, quo Goliathem prostravi. — Cf. etiam partem priorem Ps. 107, 27, 40, aliorum, qui tituli carent fide historica.

---

1) Vox ܡܢ ܐܪܒܥ ܦܢܝܢ attinet ad formulam dicendi apud Judaeos tritissimam, quae de Judaeorum exsilio usurpatur (מארבע כנפות הארץ).

Etiam evidentius mutationes a manu Christiana factae manifestantur, ubi tituli Psalmorum res Judaeorum sacras indicaverant; sive eos parum intellegebant Christiani, sive dogmaticam quandam causam iis subiiciebant, plerique — ut supra iam in inscriptionibus ad Messiam pertinentibus vidimus — ad Davidem ipsum revocantur, neque tamen difficile est, etiam nunc cognoscere, spectasse titulos ad liturgiam; nam cum constantia quandam *hi omnes ad unum ad aedem Dei referuntur*, cum eaque re connectunt quamlibet ex Davidis vita sumptam condicionem; *pauci* quidem nullam parvamve tulerunt commutationem, quorum nonnullos sufficiat attulisse.

Ps. 3. ܐܬܐܡܪ ܠܕܘܝܕ ܥܠ ܛܒܬܐ ܕܥܬܝܕܢ. „A Davide dictus de bonis futuris“ (quae exspectabat). Carmen hoc precationis vice in angustiis fungebatur, praesertim quum aegrótorum causa precationes fierent: cf. Jerusch. Sabb. cap 6: ואי זהו שיר פגועין? ה׳ מה רבו צרי וכל המזמור יושב בסתר וגו׳ „Quaenam est precatio in augustiis (morbis)? „Domine, quam multi“ (Ps. 3) cett.

Ps. 20. ܘܠܢ ܗܘܐ ܨܠܘܬܐ ܕܡܥܕܪܐ ܠܢ . . . . . ., „Nobis est (hic psalmus) precatio quae nobis prodest“ In Tulmude quoque hic psalmus praecipue efficax nominatur precatio, quia ראשו בענייה וסופו בענייה ראשו בענייה יענך ה׳ ביום צרה וסופו בענייה המלך יעננו ביום קראנו „orditur ab asseveratione exaudiendi (v. 1 יענך ה ביום צרה) itemque finit (v. 10 המלך יעננו ביום קראנו)“. (Midrasch Tillim 881.) Item: בשעה שמגעת צרה לישראל...אני עונה אותם שנאמר יענך ה׳ ביום צרה (v. 1) „Quum malum accidit Israelitis, eos exaudio, nam ita legitur; „exaudit te die miseriae“ (v. 1). Cf. Jalkut 880. et Berach. 63 a.

Ps. 24. ܠܕܘܝܕ ܥܠ ܝܘܡܐ ܩܕܡܝܐ ܕܫܪܝ ܐܠܗܐ ܕܢܒܪܐ ܒܪܝܬܐ „De die primo, quo a Deo coeptus est mundus ereari.“ Psalmus noster primo hebdomadis die in templo a Levitis dicebatur[1]). Verba ܕܫܪܝ ܐܠܗܐ ܕܢܒܪܐ ܒܪܝܬܐ videntur esse ad-

1) Quod ad Psalmos ad singulos hebdomadis dies destinatos saepius debemus recurrere, iuvat locum integrum e Tamid 36 b.

ditamentum hominis, qui simplicem titulum non intellexit[1]). Eundem titulum exhibent LXX: τῆς μιᾶς σαββάτου.

Psalmi, qui sequntur, in usum sacrum Judaeorum adhibebantur, quam rem tituli Pesch. proprie indicabant. Quod, quamvis tituli multifariam sunt corrupti, inde potes discernere, quod in omnibus his inscriptionibus de sacerdotibus Deique aede est sermo:

Ps. 48. ܘܬܫܒܘܚܬܐ ܕܟܢܘܫܬܐ ܠܐܠܗܐ . . . , „Deus celebratur a conventu (in ecclesia).“ Qui psalmus hebdomadis die secundo in templo dicebatur. (Cf. annotat. pag 61 seq.).

Ps. 81. ܠܐܣܦ. ܟܕ ܕܘܝܕ ܡܛܝܒ ܗܘܐ ܠܥܐܕܐ „Ab Asapho, quum David se praepararet ad dies festos agendos.“ Psalmum nostrum anni novi die primo Levitae dicebant, sacrificium facientes sollenne: במוסף (של ראש השנה) מהו אומר: (Ps. 81.) הרנינו לאלהי עוזנו. „Ad Sacrificium sollenne dicebant Ps. 81.“ (Rosch. Hasch. 30 b; cf. Jerusch. Rosch. Hasch. 4, 4; Targ. ad vers 6. coll. cum Rosch. Hasch. 36 b et Raschi ibid.) Praeterea quinto quoque hebdomadis die, (cf. pag 61 seq).

Ps. 92. ܠܐ ܡܫܡܗܐ. ܥܠ ܬܫܡܫܬܐ ܕܟܗܢܐ ܘܥܠ ܩܘܪܒܢܝܗܘܢ ܕܨܦܪܐ. ܘܡܩܕܡܢܐ. ܥܠ ܡܬܢܚܡܢܘܬܐ ܕܒܐܠܗܐ „Anonymus, de sacerdotum ministerio eorumque cacrificiis matutinis et prae-

---

attulisse: השיר שהיו הלוים אומרים במקדש, ביום הראשון היו אומרים לה׳ הארץ.. (P. 24), בשני היו אומרים גדולה׳ ומהולל.. (P. 48) בשלישי היו אימרים אלהים נצב בעדת אל.... (P. 82) ברביעי היו אומרים אל נקמות... (P. 94) בחמישי ה״א הרנינו לאלהים... P. 81 בששי ה״א ה׳ מלך גאות (P. 93) בשבת ה״א מזמור שיר ליום השבת... P. 92. »Carmina, quae Levitae in templo dicebant, erant haec: hebdomadis die primo Ps. 24, secundo Ps. 48, tertio Ps. 82, quarto Ps. 94, quinto Ps. 81, sexto Ps. 93, die Sabbatorum Ps. 92. — Cui praecepto respondent tituli Psalm. 24, 48, 92, 93, 94 in LXX interpp. versione; in Pss. vero 81 et 82 inscriptiones evanuerunt. In Simplice autem — Ps. 24 excepto — omnes tulerunt corruptiones.

1) Cf. tamen Rosch Hasch. 31 a. et titulum Ps. 93 (92) in LXX versione.

dicit quietem in Deo.“ Psalmus hic die Sabbatorum quum sacra fiebant, est dictus — ut testatur titulus Hebr. — (cf. pag. 61). Inde sine dubio derivanda est altera pars tituli (יום השבת = ܡܛܠ ܬܢܝܚܘܬܐ = dies quietis).

Ps. 93. ܥܠ ܬܫܡܫܬܐ ܕܐܠܗܐ. „De Dei cultu.“ Hoc carmen in templo sexto hebdomadis die dicebatur. (cf pag 61 seq.)

Ps. 104. ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܐܙܠ ܕܢܨܠܐ ܩܕܡ ܐܪܘܢܐ ܕܡܪܝܐ ܥܡ ܟܗܢܐ „A Davide quum iret oratum ante arcam Dei cum sacerdotibus.“ Facile hic cognosces corruptionem inscriptionis genuinae: carmen hoc dicebatur die festo expiationis (יוםכפורים) quum pontifex maximus in adytum sanctissimum, ubi erat arca divini foederis, se conferebat. Sofrim 19, 2: וביום הכפורים (Ps. 104) ברכי נפשי (אומרים). Cf. inscriptionem in Simplice Nostra Lev. 16. 1, supra (pag. 43) laudatam.

Ps. 113. ܠܐ ܡܫܡܗܐ ܡܛܠ ܐܡܝܪ ܚܦܝܛܘܬܐ ܥܠ ܬܫܡܫܬܐ ܕܐܠܗܐ ܕܥܒܝܕ ܒܨܦܪܐ ܡܢ ܟܗܢܐ. „Anonymus, dicitur de studio sacerdotum in cultu divino mane agendo“. Qui titulus ad hunc psalmum et ad quinque eos, qui sequuntur (114, 115,116, 117, 118) est referendus. Cuncti sex Psalmi in liturgia Judaeorum sub nomine הלל feruntur et diebus festis dicebantur et nunc in usu sunt. Cf. Jerusch. Succa 4, 5 et Babl. Pesachim 116b. seq. שמנה עשר יום ולילה אחד קורין בהן ההלל בכל שנה: „Duodevicies per singulos annos mane, semel vesperi, legitur הַלֵּל. Accuratius hi psalmi appellantur: הלל המצרי, et opponuntur: Psalmo 136, cui cognomen est: הלל הגדול (cf. Berach. 4b), cuiusque inscriptio in Pesch. haec invenitur: ܠܐ ܡܫܡܗܐ ܡܛܠ ܐܡܝܪ ܥܠ ܡܘܫܐ ܘܐܝܣܪܝܠ ܒܬܫܒܘܚܬܐ ܠܡܪܝܐ ܥܠ ܗܘ ܕܐܬܦܪܩܘ „Anonymus, dicitur de Mose et Israelitis; carmen in honorem Dei cantatum, quod servati sunt (ab Aegyptis).“ Psalmus noster antiquitus in usum liturgicum non adhibebatur, nisi septimo die Paschae [1]), ut memoria renovaretur Israelitarum mare transeuntium [2]); — eodem die etiam nunc carmen Mosis

---

1) Mos quidem, ut psalmus hic diebus Sabbatorum festisque diceretur, multo post exstitit, cf. Sofrim 18, 12.

2) Hoc esse inscriptionis argumentum apparet ex altera parte:

= פרשת שירה, Pesch: ܬܫܒܘܚܬܐ ܕܡܘܫܐ ܕܐܡܪ ܒܦܘܪܩܢܗܘܢ (Exod. cap. 15) in synagogis recitatur — Sofrim 18, 2 ביום טוב האחרון של פסח (אומרים) הלל הגדול ואיזה הלל הגדול הודו לה' כי טוב „Ultimo die Paschae dicunt הלל הגדול; quidnam est הלל הגדול? הודו cet. (Ps. 136.) — In Talmude autem dissensio est de hac re: Pesach. 128a: ?מהיכן הלל הגדול ר' יהודא אומר מהודו (Ps. 136) עד נהרות בבל (Ps. 137) ור' יוחנן אמר משיר המעלות (Ps. 134) עד נהרות בבל (Ps. 137) „Unde orditur הַלֵּל הַגָּדוֹל, R. Jehuda dicit, a Ps. 136 usque ad Ps. 137. R. Jochanan dicit a Ps. 134. Huius sententiam etiam Pesch. probare videtur; nam Ps. 134 (133) prae se fert titulum, qui pariter ac ceteri modo allati, usum liturgicum indicat: ܠܕܘܝܕ ܥܠ ܟܗܢܐ ܕܐܩܝܡ ܕܢܗܘܘܢ ܒܬܫܡܫܬܐ ܕܡܪܝܐ ܒܠܠܝܘܬܐ „A Davide, de sacerdotibus, quos instituit, ut noctu Dei cultum agerent.“ (Cf. supra pag 61 seq.). Idcirco, opinor, verba ܡܢ ܡܣܩܬܐ, ut semper שיר המעלות in Simplice redditur (cf Pss. 119—132), exciderunt[1]).

Psalmi sex ultimi (145—150), qui sub nomine פסוקי רזמרא[2]) feruntur et quotidie mane dicebantur et nunc in usu sunt, eandem exhibent inscriptionem, quae non reperitur nisi in psalmis, qui usui erant liturgico:

Ps. 145. ܐܡܝܪ ܠܚܓܝ ܘܙܟܪܝܐ (ܢܒܝܐ ܗܠܝܢ ܕܣܠܩܘ ܡܢ ܒܒܠ) ܥܠ ܬܫܡܫܬܐ ܕܟܗܢܐ ܕܐܬܚܕܬܬ ܘܡܥܒܕܐ ܘܬܫܒܘܚܬܐ „Dictus ab Haggaeo et Zacharia (prophetis illis qui Babylone

---

cett. ܘܥܠ ܦܘܪܩܢܐ ܕܢܦܫܬܐ ܡܢ ܫܝܘܠ ܡܢ ܦܓܪܗܘܢ ܣܛܢܐ, unde cernitur etiam, quomodo Judaicae inscriptiones in Christianas sint mutatae.

1) Cf. Tosafoth Pesachim 117 a.

2) Cf. Sabbath 118 b: .... אמר ר' יהא חלקי עם גומרי הלל כי קאמרינן בפסוקי דזמרא. Ibid. Raschi interpretatur פסוקי דזמרא intellegenda esse *duos* Psalmos (148 et 150). At Sofrim 17, 11 expresse legimus, sex esse hos Psalmos: ואמר ר' יוסי יהא חלקי עם המתפללים בכל יום ששת המזמורים הללו.

profecti sunt cum exsulibus[1]) *de ministerio sacerdotum matutino, precatione et laude*“ . . . .

Ps. 148. ܠܚܓܝ ܘܙܟܪܝܐ ... ܕܐܝܟ ܕܠܥܠܐ ܢܫܒܚܘܢ ܠܬܚܬܝܐ ܠܐܕܘܢܝ ܡܫܒܚܐ ܡܪܝܐ ܕܨܒܐܘܬ ܠܐܚܝܕ ܟܠ (cf. supra p. 56) „A. Haggaeo er Sacharia. Ut superi (angeli) ita inferi (homines) celebrant Deum Zebaoth, Dominum gloriosum, omnipotentem.“ Ad verbum fere haec inscriptio reperitur in Midr. Tillim ad Ps. nostrum: . . . כשם שיש צבאות הרבה בארץ כך הם בשמים להיות מקלסין אותו. „Sicut turbae (hominum) sunt in terra, ita quoque in coelo (angelorum), quae eum (sc: Deum) celebrant“. —

Huc quoque pertinent Psalmi, qui die Sabbatorum dicuntur: (Ps. 33 et 34)

Ps. 33. ܠܕܘܝܕ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܥܠ ܗܢܘܢ ܕܐܩܝܡ ܐܝܟ ܥܠ ܬܫܡܫܬܐ ܕܐܕܘܢܝ ... „A Davide — quod ad historiam pertinet — de iis, quos instituit ad cultum Domini agendum“. . . . et

Ps. 34. ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܐܙܠ ܠܒܝܬܗ ܕܡܪܝܐ ܘܝܗܒ ܗܘܐ ܪܫܝܬܐ ܠܟܗܢܐ. „A Davide quum iret in Dei aedem et primitias daret sacerdotibus.“ Denique:

Ps. 29. ܠܕܘܝܕ ܥܠ ܡܘܪܒܢܐ. „A Davide, de sacrificio.“ Psalmus hic Pentecostes die dicebatur, quum sacerdotes sacrificium faciebant sollenne. Cf Sofrim 18, 3: ובחג השבועות (Ps. 29) הבו לה׳ בני אלים (אומרים). „Die Pentecostes festo (dicebant) Psalmum 29.“

Haec testimonia — nec difficile est addere alia plus minusve perspicua — maximi sunt momenti ad Simplicis naturam diiudicandam, quippe quum demonstrent dilucide, quaenam fortuna Versionis Nostrae diversis temporibus fuerit. — Quod vero tituli nonnulli ad res sacras *templi Hierosolymitani* spectant, *aetas* Simplicis *maior*, quam vulgo credunt viri docti, efficitur. Contra ea tituli Messiani, qui dicuntur, multo

1) In LXX interpp. versione et in Peschittho Haggaeus et Sacharias auctores Psalmorum 146—148 appellabantur. Quae nomina a posteriore manu adiecta esse videntur; Cf. Origenis Hexapl. ubi expressis verbis docemur, hoc additamentum in LXX vesione non deprehendi. Titulus igitur Origenis aetate dubius erat.

post nati esse sunt putandi (cf Ps. 74). Inde sequitur, ut Peschittho, ut poscebant condicio religionesque populi et aetatis interpretandi ratio, usque tulerit emendationes et mutationes, quod satis supra illustrasse mihi videor. Simplex enim a Judaeis est tradita Christianis, qui sive non callebant linguam Hebraicam sive dogmatis suis satisfacere volebant, multa mutaverunt; atque maxime id usu venit in Psalmis, qui ad usum privatum adhibebantur. Ita Peschittho posteritati est tradita, nec ad eius contextum emendandum et confirmandum multum usque adhuc viri docti attulerunt[1]. Quibus rebus expositis quaestionem, quam saepe viri docti pertractarunt, utrum Peschittho auctores Judaei an Christiani fuerint, plane absolutam esse spero. Atque si auctores Christianos statuimus, quum multas inveniamus difficultates, quae non possunt removeri coniecturis levissimis, maiores in angustias adducimur, si auctores putamus Judaeo-Christianos, quae opinio in versione, quum dilucide prae se ferat variorum scriptorum variorumque temporum typum, mira fabulosaque videtur. Quaenam igitur rationes sunt, quae nos moveant, illam sententiam amplecti? —

Quod vero demonstravimus de *Judaicis* Psalmorum titulis Christianos duxisse originem, mutationesque etiam ad textum ipsum redundasse, opinio, qua a Christianis Peschittho fluxisse illi censent, per se non probanda, nullo modo potest sustineri. Accedit quod formulae dicendi, velut ܐܕܘܢܝ[2] ܠܡܫܝܚ etc. et res ad liturgiam pertinentes, quas in titulis deprehendimus, dilucide probant, Simplicem in Judaeorum usu viguisse. De aliis Versionis Nostrae proprietatibus, quae originem demonstrant Judaicam, cum Psalmos ipsos fusius uberiusque pertractabimus, verba faciemus.

1) Cf. Bernstein, Syrische Studien, Zeitsch. der deutsch. Morgenl. Gesellsch. vol. III pag. 396; Perles pag. 9.

2) Vocem ܐܕܘܢܝ a Christinis non esse usurpatam, testis est Bar-Hebraeus: ܗܘ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܦܪܘܫ ܡܪܝ ܠܫܡܐ ܡܩܕܫܐ ܕܐܠܗܐ ܕܐܝܠܘ ܗܘܝܘ ܘܠܐ ܗܟܢ ܕܡܫܝܚܝܐ ܒܬܫܡܫܬܗܘܢ ܐܠܐ ܝܗܘܕܝܐ ܐܕܘܢܝ ܡܪܝ Scholia ad ps. VIII (v. 2) ed. Schroeter, pag. 9 seq.

Appendices.

Appendix I.

Loci e Simplice Veteris Testamenti in Novum Syriacum recepti:

Matth.	12, 19 et 20	=	Jes. 42, 3, 4.
	13, 14	=	Jes. 6, 9.
	19, 5	=	Genes. 2, 24.
	21, 5	=	Zach. 9, 9.
	21, 13	=	Jes. 56, 7.
Marc.	11, 17	=	Jes. 56, 7.
	12, 36	=	Ps. 110, 1.
	15, 34	=	Ps. 22, 2.
Luc.	4, 11	=	Ps. 91, 11.
	13, 35	=	Ps. 118, 25 seq.
Joh.	2, 17	=	Ps. 69, 10.
	19, 24	=	Ps. 22, 19.
Act.	4, 25—29	=	Ps. 2, 1—4.
	8, 32	=	Jes. 53, 7.
	14, 15	=	Ps. 146, 6.
Rom.	3, 13	=	Ps. 140, 4,
	4, 18	=	Genes. 15, 5
	9, 17	=	Exod. 9, 16.
	9, 29	=	Jes. 1, 9.
	10, 18	=	Ps. 19, 5.
	11, 9 seq.	=	Ps. 69, 23 seq.
	15, 3	=	Ps. 69, 10.
	15, 11	=	Ps. 117, 1.
Ephes.	4, 8	=	Ps. 68, 19.
	4, 26	=	Ps. 4, 5.
I Petri	3, 10—12	=	Ps. 34, 13—17.
Hebr.	1, 5 et 5,5	=	Ps. 2, 7.
	1, 5	=	II Sam. 7, 14.
	1, 7	=	Ps. 107, 4.

Hebr.	1, 8 seq.	=	Ps. 45, 7. seq.
	2, 12	=	Ps. 22, 13.
	2, 13	=	Jes. 8, 18.
	3, 15 seq. } 4, 7 }	=	Ps. 95, 7, 8, 9.
	4, 3	=	Ps. 95, 11.
	5, 6 et 7, 21	=	Ps. 110, 4.
	(8, 8 seqq.	=	Jerem. 31, 31—34?)
	10, 5 seq.	=	Ps. 40, 7—9.
	13, 6	=	Ps. 118, 6.

Ex his exemplis apparet, maxime Psalmos in Novo Testamento Syriaco secundum Simplicem V. T. laudari; hoc momentum probare videtur, quae supra exposuimus, pag. 38.

Appendix II.

1. His locis textus Hebraici vox סֶלָה legitur, Simplicis vero plane est omissa Ps. 3, 3, 5; 4, 5; 7, 6; 9, 17, 21; 20, 4; 21, 3; 24, 6; 32, 4, 5, 7; 39, 12; 44, 9; 46, 8, 12; 47, 5; 48, 9; 49, 16; 60, 6; 66, 15; 75, 4; 76, 10; 77, 4, 10; 82, 2; 83, 9; 84, 9; 85, 3; 87, 6; 88, 8; 89, 38, 46, 49; 140, 4. 9; 143, 6.

2. Vocem סלה Peschittho reddit ܕܦܣܡ his locis: Ps. 39, 6; 46, 4; 49, 14; 50, 6; 52, 5, 7; 54, 5; 55, 8; 57, 4, 7; 59, 6, 14; 61, 5; 62, 5, 9; 67, 2, 5; 68, 8, 20, 33; 76, 4; 67, 16; 81, 8; 84, 5; 87, 3; 88, 11; 89, 5; 140, 6.

3. Vocem סלה reddit Simplex ܠܥܠܡ sive ܠܥܠܡܝܢ Ps. 3, 9; 4, 3; 24, 10; 55, 20; (cf. supra pag. 49.).

4. ܠܥܠܡ (ܠܥܠܡܝܢ) et ܕܦܣܡ exstant: Ps. 66, 4 et 7.)

5. Simplex exhibet ܕܦܣܡ, ubi nec LXX interpp. versio *διάψαλμα* continet, nec in textu Hebraico סלה legitur: Ps. 37, 36; 48, 15; 50, 15; 52, 5; 57, 3; 68, 13; 89, 25; 149 (148), 13.

Appendix III.

Psalmorum inscriptiones, quae apud Eusebium Caesareensem inveniuntur:

Ps. 1. *Προτροπὴ θεοσεβείας καὶ ἀποτροπὴ τοῦ ἐναντίου.*
2. *Προφητεία περὶ Χριστοῦ καὶ κλήσεως ἐθνῶν.*
3. *Προφητεία γενησομένων ἀγαθῶν τῷ Δαυὶδ.*
4. *Προφητεία τῷ Δαυὶδ περὶ ὧν πέπονθεν.*
5. *Ἐκ προσώπου τῆς ἐκκλησίας προσευχή.*
6. *Διδασκαλία ἐξομολογήσεως.*
7. *Τῷ Δαυίδ ἐξομολόγησις καὶ διδασκαλία κλήσεως ἐθνῶν.*
8. *Προφητεία κλήσεως ἐθνῶν.*
9. *Θάνατος Χριστοῦ καὶ ἀνάστησις καὶ βασιλείας παράληψις ἐχθρῶν τε πάντων καθαίρησις.*
10. *Ἐπινίκιος ὕμνος τοῦ κατὰ θεὸν ἀγωνιζομένου.*
11. *Κατηγορία πονηρῶν καὶ προφητεία Χριστοῦ παρουσίας.*
12. *Ἐχθρῶν ἐπανάστασις καὶ προςδοκία Χριστοῦ παρουσίας.*
13. *Κατηγορία πονηρῶν καὶ προφητεία Χριςτοῦ παρουσίας.*
14. *Τοῦ κατὰ θεὸν τελείου ἀποκατάστασις.*
15. *Ἐκλογὴ ἐκκλησίας καὶ Χριστοῦ ἀνάστασις.*
16. *Τελείου ἀνδρὸς ἢ καὶ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ προςευχὴ ὑπερ τῶν δι' αὐτοῦ σωθησομένων.*
17. *Εὐχαριστία τοῦ Δαυὶδ καὶ προφητεία Χριστοῦ παρουσίας καὶ αναλήψεως.*
18. *Θεολογία σὺν διδασκαλίᾳ ἠθικῇ.*
19. *Εὐχὴ τῶν συμπραττόντων τῷ Δαυὶδ δικαίων.*
20. *Ἔντευξις τῶν συμπραττόντων τῷ Δαυίδ.*
21. *Προφητεία τοῦ Χριςτοῦ παθῶν καὶ ἐθνῶν κλῆσις.*
22. *Διδασκαλία καὶ νεοῦ λαοῦ εἰςαγωγή.*
23. *Ρροφητεία κλήσεως ἐδνῶν καὶ τελείωσις τῶν σωφομένων.*
24. *Διδασκαλία ἐξομολογήσεως.*
25. *Ἔντευξις τοῦ κατὰ θεὸν προςκόπτοντος.*
26. *Εὐχαριστία καὶ αἴτησις ἀγαθῶν.*
27. *Δέησις μετὰ προφητείας.*
28. *Προφητεία αἰνιγματώδης σὺν θεολογίᾳ.*
29. *Εὐχαριστία σὺν ἐξομολογήσει.*
30. *Ἐξομολόγησις σὺν ἱκετηρίᾳ.*

Ps. 31. *Προφητεία τῶν διὰ Χριστοῦ σωθησομένων.*
32. *Παρακέλευσις ὑμνολογίας σὺν θεολογίᾳ.*
33. *Διδασκαλία εὐχαριστίας.*
34. *Ἱκετηρία δικαίου καὶ προφητεία περὶ Χριστοῦ.*
35. *Ἔλεγχος ἀσεβῶν σὺν θεολογίᾳ.*
36. *Διδασκαλία θεοσεβοῦς βίου.*
37. *Διδασκαλία ἐξομολογήσεως.*
38. *Ἔντευξις σὺν ἐξομολογήσει.*
39. *Εὐχαριστία τοῦ κατὰ θεὸν σωθέντος καὶ μνήμη ἐκκλησίας.*
40. *Προφητεία περὶ Χριστοῦ καὶ περὶ τοῦ προδότου.*
41. *Ἱκετηρία προφητῶν ἐπὶ τῇ ἀποβολῇ τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους.*
42 et 43. *Ἔτι περὶ τοῦ αὐτοῦ.*
44. *Ἐπιφάνεια Χριστοῦ βασιλείας.*
45. *Ἀποστόλων κήρυγμα.*
46. *Κλῆσις ἐθνῶν.*
47. *Ὕμνος εἰς θεὸν περὶ τῆς ἐκκλησίας καὶ καθαίρεσις διωγμῶν.*
48. *Θείας κρίσεως διδασκαλία.*
49. *Ἀνατροπὴ τοῦ περὶ θυσιῶν Μωϋσέως νόμου καὶ εἰςαγωγὴ τοῦ τῆς καινῆς διαθήκης.*
50. *Διδασκαλία ἐξομολογήσεως.*
51. *Ἔλεγχος τοῦ πονηροῦ τρόπου καὶ τέλος τοῦ αὐτοῦ.*
52. *Σωτηρίας ἐπιφάνεια καὶ ἀθεότητος ἀπαλλαγή.*
53. *Προσευχὴ τοῦ κατὰ θεὸν ἀγωνιζομένου.*
54. *Δήλωσις τῶν κατὰ Χριστοῦ τετολμημένων.*
55. *Δικαίου εὐχαριστία ῥυθέντος ἐξ ἐχθρῶν.*
56. *Εὐχαριστία τοῦ Δαυὶδ καὶ προφητεία κλήσεως ἐθνῶν.*
57. *Διδασκαλία τῆς τοῦ θεοῦ δικαιοκρισίας.*
58. *Κλῆσις ἐθνῶν καὶ Ἰουδαίων ἀποβολή.*
59. *Ἀποβολή τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ καὶ κλῆσις ἐθνῶν.*
60. *Δέησις σὺν εὐχαριστίᾳ.*
61. *Διδασκαλία θεραπευτική.*
62. *Εὐχαριστία τοῦ κατὰ θεὸν τελείου.*
63. *Διδασκαλία τοῦ θεοσεβοῦς ἀθλητοῦ.*
64. *Κλῆσις ἐθνῶν.*
65. *Κλῆσις ἐθνῶν καὶ Ἀποστόλων μαρτυρία.*

Ps. 66. Κλῆσις ἐθνῶν καί Ἀποστόλων κήρυγμα.
67. Χριστοῦ ἐνανθρώπησις καὶ ἐθνῶν κλῆσις.
68. Πάθη Χριστοῦ καὶ Ἰουδαίων ἀποβολή.
69. Ἱκετηρία δικαίου καὶ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ.
70. Χριστοῦ πάθη καὶ ἀνάστασις.
71. Προφητεία Χριστοῦ βασιλείας καὶ κλήσεως ἐθνῶν.
72. Ἐξομολόγησις τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας ἐπὶ τῇ τῶν ἀσεβῶν εὐπραγίᾳ καὶ τῇ τοῦ θεοῦ μακροθυμίᾳ.
73. Προαναφώνησις τῆς ἐσχάτης Ἰουδαίων πολιορκίας τῆς τοῦ Οὐεσπασιανοῦ καὶ Τίτου γενομένης.
74. Χριστοῦ θεολογία καὶ ὑπόμνησις τοῦ θείου δικαστηρίου.
75. Ἐκδίκησις κατὰ ἀσεβῶν τῆς τοῦ θεοῦ κρίσεως.
76. Περὶ τῆς τοῦ θεοῦ μακροθυμίας καὶ τῶν θαυμαστῶν ἔργων αὐτοῦ.
77. Χριστοῦ διαστολὴ πρὸς τὴν ἐκκλησίαν περὶ τῆς τοῦ προτέρου λαοῦ παρανομίας.
78. Προφητεία τῶν ἀπὸ τοῦ Ἀντιόχου τῇ Ἰουδαίᾳ συμβάντων αὐτοῖς, ἢ ἱστορία παρὰ τοὺς Μακκαβαίους.
79. Προφητεία τῆς ὑπὸ τῶν Ἀσσυρίων πολιορκίας καὶ δέησις περὶ τῆς Χριςτοῦ ἐπιφανείας.
80. Κλῆσις ἐθνῶν καὶ διδασκαλία τῶν συμβεβηκότων τῷ προτέρῳ λαῷ.
81. Ἔλεγχος τῶν ἀρχόντων τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους.
82. Δέησις περὶ τοῦ πεπονθότος σκυθέωπα λαοῦ καὶ προφητεία περὶ τοῦ τέλους τῶν ἐχθρῶν τοῦ Χριστοῦ.
83. Χριστοῦ ἐνανθρώπησις καὶ περὶ τῶν ἐκκλησιῶν.
84. Προφητεία εἰς τὸν Χριστὸν καὶ τοὺς δι' αὐτοῦ λελυτρωμένους.
85. Ρροσευχὴ Δαυὶδ καὶ προφητεία κλήσεως ἐθνῶν.
86. Χριστοῦ ἐνανθρώπησις.
87. Χριστοῦ θάνατον προφητεύς.
88. Χριστοῦ βασιλεία ἐκ σπέρματος Δαυὶδ.
89. Ἰουδαίων ἀποβολή.
90. Χριστοῦ νίκη καὶ παντὸς τοῦ κατ' αὐτὸν τελειομένου.
91. Περὶ τῆς κατὰ θεὸν ἀναπαύσεως.
92. Ὕμνος βασιλείας Χριστοῦ ἐπὶ τῆς πρώτης αὐτοῦ παρουσίας.
93. Περὶ τῶν κατὰ τῆς ἐκκλησίας δωγμάτων.

Ps. 94. Κλῆσις Ἰουδαίων καὶ ἀπόγνωσις αὐτῶν.
95. Κλῆσις ἐθνῶν καὶ Χριστοῦ παρουσία.
96. Ὕμνος βασιλείας Χριστοῦ ἐπὶ τῆς πρώτης αὐτοῦ παρουσίας.
97. Κλῆσις ἐθνῶν καὶ Χριστοῦ παρουσία.
98. Ὕμνος βασιλείας Χριστοῦ.
99. Κλῆσις ἐθνῶν.
100. Ὕμνος τοῦ κατὰ θεὸν τελείου.
101. Ὀδυρμὸς ἐπὶ τῷ προτέρῳ καὶ προφητεία τοῦ λαοῦ καὶ κλῆσις ἐθνῶν.
102. Διδασκαλία εὐχαριστίας.
103. Διδασκαλία ἐξομολογήσεως.
104. Διδασκαλία τοῖς ἔθνεσι τῶν εἰς τὸν πρότερον λαὸν τοῦ θεοῦ εὐεργεσιῶν.
105. Διδασκαλία ἀνασεβείας τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους.
106. Προφητεία κλήσεως ἐθνῶν καὶ τῆς εἰς ἀνθρώπους τοῦ θεοῦ λόγου ἐπιλάμψεως.
107. Κλῆσις ἐθνῶν.
108. Πάθη Χριστοῦ.
109. Νίκη Χριστοῦ.
110. Εὐχαριστία Χριστοῦ.
111. Διδασκαλία Χριστοῦ.
112. Νεοῦ λαοῦ κλῆσις.
113. Νεοῦ λαοῦ διδασκαλία.
114. Νεοῦ λαοῦ προτροπή.
115. Νεοῦ λαοῦ τελείωσις.
116. Κλῆσις ἐθνῶν.
117. Νίκη τῶν ἐν Χριστῷ ἀγωνιζομένων καὶ προφητεία περὶ Χριστοῦ.
118. Στοιχείωσις τῆς κατὰ θεὸν ἀναγωγῆς.
119. Παροικίας.
120. Ἐπανόδου Βαβυλῶνος καὶ τῆς διασπορᾶς.
121. Ἀγαθῶν εὐαγγέλια.
122. Εὐχῆς.
123. Εὐχαριστίας.
124. Ἀποκαταστάσεως.
125. Προσδοκία μελλόντων.
126. Οἰκοδομὴ ἐκκλησίας.

Ps. 127. *Κλῆσις ἐθνῶν.*
128. *Νίκη Χριστοῦ στρατιᾶς.*
129. *Εὐχὴ μαρτύρων.*
130. *Περὶ ταπεινοφροσύνης.*
131. *Προσευχὴ τοῦ Δαυὶδ καὶ ἐπιφάνεια.*
132. *Λαοῦ τελείου.*
133. *Λαοῦ ἐρχομένου.*
134. *Διδασκαλία εἰςακτική.*
135. *Εὐχαριστία λελυτρωμένου.*
136. *Ἁγίων φωναὶ τῶν ἐν αἰχμαλωσίᾳ.*
137. *Εὐχαριστία μετὰ προφητείας.*
138. *Ἔντευξις δικαίου σὺν Θεολογίᾳ.*
139. *Φωναὶ τοῦ κατὰ Θεὸν ἀγωνιζομενου.*
140. *Προσευχὴ τοῦ κατὰ Θεὸν τελείου.*
141. *Φωναὶ τοῦ κατὰ Θεὸν πολεμουμένου.*
142. *Προσευχὴ ἐξομολογουμένου.*
143. *Εὐχαριστία νενικηκότος.*
144. *Ὕμνος σὺν Θεολογίᾳ.*
145. *Ὕμνος σὺν Θεολογίᾳ.*
146. *Ὕμνος σὺν Θεολογίᾳ.*
147. *Ὕμνος σὺν Θεολογίᾳ.*
148. *Ὕμνος σὺν Θεολογίᾳ.*
149. *Ὕμνος σὺν Θεολογίᾳ.*
150. *Παρακέλευσις ὕμνου καθολική.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 1 lin. 3 inf. pro significandum leg. significandam.
» 7 » 4 sup. » Edesseni » Tyri.
» » » 10 inf. » الترك » لترك.
» » » 4 inf. » lienamentum » lineamentum.
» 9 » 12 inf. » p. 54 [1]) » p. 27 [2]).
» » » 9 inf. » nulla » nullo.
» 13 » 19 sup. leg. Jacobum Edessenum.
» 17 » 5 sup. pro affere leg. afferre.
» 22 » 9 inf. » Hyronymus » Hieronymus.
» 23 » 9 inf. » appelatur » appellatur.
» 26 » 10 sup. et 5 inf. leg. *perhibebantur* et *superiorem.*
» 28 » 12 sup. pro debebant leg. debebat.
» 30 » 3 inf. » scotarum » sectarum.
» 31 » 9 sup. » linguae Graecae leg. lingua Graeca.
» » » 3 inf. post *ut* add. *elucet.*
» 32 » 4 sup. leg. transscribebatur, eius interpres, quamquam.
» » » 15 inf. » ceteros pro veteros.
» 33 » 13 sup. » domesticas pro demesticas.
» » » 6 inf. et 5 inf. leg. *huius* et *initium.*
» 36 » 1 sup. leg. differrent pro different.
» 38 » 2 inf. » instituit » institut.
» 57 ad not. [1]). Libello hoc iam impresso liberalitate et benignitate vir. ill. Weiskii codicem illum Halensem inspicere mihi contigit; inscriptiones Psalmorum in eo allatae cum Peschitthonianis nostris plerumque consentiunt, quibus interdum tituli, qui in Syro-Hexapl. leguntur additi sunt. Omnino discrepant paucae, quae quidem meam de titulis sententiam comprobant. De his alio loco plura.
» 59 lin. 1 sup. pro ܠܟܗܢܝ leg. ܠܟܗܢܐ
» 60 » 10 inf. » certe » certo.
» 61 » 8 sup. » quandam » quadam.
» 62 » 15 inf. leg. sacrificiis.
» 63 » 4 sup. » ܡܬܠܡܕܢܘܬܐ pro ܡܬܠܡܝܕܢܘܬܐ
» 71 Ps. 23 pro *ἔδνων* et *σωφομένων* leg. *ἐθνῶν* et *σωζομένων.*